This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

877.1
JM392
v.1

822.1
JM392

10.600

622.1
JM392

10.600

C. LUCILII CARMINUM RELIQUIAE

RECENSUIT ENARRAUIT

FRIDERICUS MARX

VOLUMEN PRIUS

PROLEGOMENA TESTIMONIA FASTI LUCILIANI
CARMINUM RELIQUIAE INDICES

MCMIV

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI

612.1
JM392—

10.60

Lucilii poetae noua opus esse editione post Lachmanni Muelleri Baehrensii curas nemo negabit: inprimis tamen poetae difficillimi reliquias oportere enarrari commentario memini Franciscum Buechelerum ante haec quinque lustra Bonnae docuisse in scholis suis. Vtrumque laborem suscepi eo libentius, quod eo quo fieri solet more si editionem instituissem, uix duo uel tres in una pagina uersus licebat proponere: nunc grauissima quaeque in adnotatione critica, leuiora posui in commentario, qui prelo iam traditus est uolumenque implebit alterum. Quem quaeso, lector candide, expectes, quo rectius de hoc priore uolumine iudicare possis.

Vitiosa aliqua scriptura si forte oculos effugerit editoris aut correctoris, in commentario emendabitur: neque tamen arbitror defuisse diligentiam operi necessariam. Coniecturas uirorum doctorum plurimas item in commentario quaerito: in apparatu critico posui tantummodo eximias et paucas. Quaecumque tradita non sunt, ea omnia notaui diuersitate scripturae. Quam rationem multis scio displicere: scilicet pulchritudinem paginarum ea ratione minime augeri libenter concedo. Tamen utilem esse eam rationem manifestum est et commodam lectoribus. Scripturas singulas emendatas religiose uindicaui auctoribus: si cui scripturae nomen auctoris aliquod additum non est, editori uelim tribuas. Manci esse et lacunosi ubi uisi sunt uersus, suppleui ut potui: quae supplementa cautius erat in adnotatione, sed item utilius me

iudice ponere in reliquiis ipsis carminum, modo ne credere possit lector esse ea antiquitus tradita. Incertae sedis fragmenta quo facilius inueniantur a quaerentibus ordinaui secundum litteras: inprimis cauendum esse duxi, ne temere certo alicui libro talia tribuantur quo perfacile deducere solet editores fragmentorum noua docendi cupiditas.

Opus iam ante duos annos perfectum remoratae sunt nouae quae aut expectabantur aut prouenerunt in publicum Ennii Nonii Gellii scholiastarum Vergilii Terentii Horatii editiones quarum rationem habui quatenus potui: nempe nouam Pseudoacronis editionem in ea parte praefationis quae iam perfecta erat a librario non iam potui adhibere. Quod tamen non magno cum damno accidit disputationis. Eo maiorem gratiam habere par est eis uiris doctis, qui de codicum et inscriptionum lectionibus certiorem me fecerunt rogantem: Paulo Gaucklero Christiano Huelseno Paulo Wessnero. Tum qui nouerit quantis sumptibus in hac urbe stet librorum exornatio, insignem aedium Teubnerianarum gratiam referendam esse domnaedio censebit neque solum ipsi sed ob diligentiam et peritiam singularem etiam eis qui sunt in operis eius. Corrigenti denique adminiculo erat Maximiliani Arnoldii opera et diligens et subtilis.

Scripsi Lipsiae mense Iulio MCMIV.

CONSPECTUS OPERIS.

I. Prolegomena. De satura. orthographia p. IX. etymologia p. X seqq. satura farcimen p. XI. lex satura p. XI. Diomedes grammaticus p. XI. Euanthius et Isidorus p. XII. Scholiasta Horatii p. XII. Lydus p. XII. etymologiae philologorum huius aeui p. XIII. Ennii saturae p. XIII. Lucilii satura p. XVI. contumacia Lucilii in leges de iniuriis p. XVI. metra Lucilii p. XVII. septenarius trochaicus omnium metrorum fundamentum p. XVII. Lucilii nomen patria sermo p. XVIII. genus p. XIX. diuitiae p. XIX. praedia p. XX. familia p. XX. lis cum Appio Claudio de agro publico in senatu p. XXI. domus in urbe p. XXI. aetas p. XXI. quo anno obierit p. XXII. de anno eius natali p. XXIII. quo anno Romam uenerit p. XXIV. bellum Numantinum p. XXV. quo tempore saturas scribere coeperit p. XXVI. quo tempore desierit p. XXVI. a mimo laeditur in scaena nominatim p. XXVII. Clitomachi amicitia p. XXVIII. ab urbe secessit Neapolim p. XXVIII. publico funere effertur p. XXIX. De singulorum librorum temporibus p. XXIX. De tempore librorum XXVI—XXX p. XXX seqq. Scipionis mors p. XXXV. De libris I—XXI p. XXXV. De tempore libri I p. XXXV seqq. De argumento et tempore libri II p. XLI seqq. De sociorum expulsionibus factis inter annos 628/126 et 632/122 p. XLVI. De tempore libri V p. XLVII. De tempore libri XI p. XLVIII. De tempore libri XVII p. XLVIII. De tempore libri XX p. XLIX. De tempore librorum XXII—XXV p. L. De ueterum editionibus Lucilii p. L. Q. Laelius Archelaus p. L seq. Pompeius Lenaeus p. LI. Vettius Philocomus p. LI. P. Valerius Cato p. LII. Curtius Nicias p. LII. Santra p. LII. Varro p. LIII. Eius exemplar Lucilii p. LIII. Editio Lucilii uulgaris p. LIV. Commentarii in Lucilium p. LV seqq. Notae Alexandrinorum p. LVIII. Scriptores qui Lucilii uersus afferunt p. LIX. 1) Oratores poetae p. LIX. Cicero p. LIX. Asinius p. LIX. Horatius p. LIX. Vergilius p. LIX. Persius Martialis Petronius Iuuenalis p. LIX. Quintilianus p. LX. Apuleius et Fronto p. LX. Vltimum lectionis Lucilianae testimonium p. LX. Arnobius p. LX. Lactantius florilegio utitur p. LX. Quo tempore Lucilii exemplaria perierint ultima p. LXI. Scholiasta Iuuenalis p. LXI.

2) Grammatici qui Lucilii uersus adferunt p. LXI seqq. Varro p. LXI. Verrius p. LXII seqq. Plinius p. LXIV. Caper p. LXV seqq. Probus p. LXXII seqq. Qua ratione grammatici discrepent in Lucilio adferendo p. LXXV seqq. Porphyrio p. LXXVI. Gellius p. LXXVI. Caesellius Vindex p. LXXVII. Nonius p. LXXVIII seqq. De libro XXX Lucilii p. CVI. De metris et argumento lib. XXIX p. CVII. De amplitudine saturarum Lucilii p. CXI. De libro XXVIII p. CXI. De libri XXVII et XXVI argumentis p. CXII. 3) De rhetoribus p. CXII. De Nonii codicibus et editionibus p. CXIII. De Lucilii editionibus p. CXV. De poesi Lucilii iudicia p. CXVII. De elocutione Lucilii p. CXVIII. Testimonia de satura p. CXX seqq. Testimonia de Lucilii uita et poesi p. CXXV seqq. Fasti Luciliani p. CXXXV. Carminum reliquiae p. 1—95. Index nominum p. 96 seqq. Index auctorum p. 100. Index uerborum Latinorum p. 101 seqq. Verba peregrina p. 156 seqq. Index grammaticus metricus rerum memorabilium p. 160 seqq

PROLEGOMENA.

DE SATURA.

Vocabulum *satura* apud Horatium primum hodie legitur serm. II 1, 1. 6, 17 ubi codd *satyra* formam exhibent quam saeculo p. Chr. VI Vettius Mauortius ut elegantiorem et magis doctam praetulerit formae *satura*. Sed Porphyrio ad serm. I 1, 1 testatur sese legere II 1, 1 'sunt quibus in satura' quamquam idem modo *satura* modo *satyra* forma uidetur uti. Etiam Priscianus GL II p. 203, 19 K recte scribi uoluit 'Lucilius in saturarum VI.' Neque dubium est quin *satura* forma sit Latina sola, *satyra* in umbra scholarum a doctis excogitata et serae aetatis. Tertia forma quae etiamnunc a multis usurpatur *satira* non Latina est, sed Graecanica ita ut i littera locum y teneat. Neque enim analogia defenditur formarum *lacrumae-lacrimae, pontufex-pontifex* similium, quod nullum exemplum ante r litteram quod u uocalem infregerit profertur neque umquam ueluti *lemires* dicebatur pro *lemures* similia, sed uulgari pronuntiatione *satora* scribebatur ueluti Mart. Cap. p. 374, 11 Eyssenh. neque pro formula *per saturam* umquam dici potuit *per satiram* neque pro *saturare satirare*. Sed fac *satiram* Latinum fuisse: nos probare id non poterimus, cum ubique in codd ubi legitur *satira* accipi possit pro *satyra* forma (Ind. lection. uniu. Rostoch. 1889/90 p. 13. 14). *Orthographia*

Quo tempore forma *satyra* nata sit non constat. Persii praebet codex Montepessulanus in subscriptione *explicit Persius: Thebaidorum satura* e. q. s., Sabini recensio *Persi Flacci satyrarum*, sed priorem scripturam Quintiliani tutantur optimi codices IX 3, 9 qui ubique *satura* scripserat IX 2, 36 X 1, 93. 95; Martialis XI 10, 1 XII 94, 7 bis *saturas*, item Iuuenalis I 30 III 321 IV 106 VI 634, etiam in cod Martiani Capellae Bambergensi (p. 195, 21 Eyssenh.) uetus seruata est

scriptura. At falsa scriptura egregie commendabatur et a falsa etymologia quae a satyris nomen deduceret et ab eis qui adiectiuum Graecanicum *satyricus* nouarunt et in litteris Latinis propagarunt. Quod uitauit Suetonius, apud quem teste Hieronymo (testim. 11) audierit Lucilius saturarum scriptor, item uitauit Apuleius de mag. cap. 10, qui etiamsi saturarum lib. VII u. 272 seqq. spectet, abstinuit uocabulo *satyricus* cum hoc modo scriberet 'C. Lucilium, quamquam sit iambicus, tamen improbarim, quod Gentium et Macedonem pueros directis nominibus carmine suo prostituerit'. Quod uocabulum *satyricus* de satura usurpari coeptum esse uidetur inde a saeculo III exeunte; ueluti Lactantius instit. diuin. II 4, 3 scripsit 'sed Flaccus ut satyrici carminis scriptor', fluctuat Porphyrio qui saepe *satyrice* ueluti ad Hor. serm. I 6, 120 'satyrice autem et eleganter hoc dictum', ad epist. I 18, 19 'bono stomacho satyricos respondet', ad epist. II 2, 205 'per hypoforam respondentem more satyricorum'.

Etymologia Vbicumque apud ueteres scriptores de saturae etymologia et origine agitur, lucernam olfacimus doctorum grammaticorum, qui multa suspicari coniectare diuinare debuerint, perpauca de hoc carmine scierint. Quorum in numero quid de satura Varro docuerit, non constat. Egit ille de *satura* uocabulo in lib. II quaestionum Plautinarum (GL I p. 486, 7 K: testim. IV), ubi de carminis Latini historia eum egisse neque traditur neque probabile est. Deinde Verrius Flaccus de uoce satura egerat (Fest. p. 314 M.: testim. I). Qui cum de carmine quod satura uocabatur omnino taceret, oportet statuamus illum carminis nomen minime deduxisse aut a satura lege quam finxit aut a satura lance, sed abstinuisse omnino comparatione istorum uerborum. Cuius aequalis T. Liuius VII cap. 2, 6—8 quod histriones Romanos ante Liuium Andronicum facit 'non, sicut ante, Fescennino uersu similem, incompositum temere ac rudem alternis' iacientes, 'sed inpletas modis saturas descripto iam ad tibicinem cantu motuque congruenti' peragentes, deinde Liuium primum ausum 'ab saturis argumento fabulam serere', ea Patauinus magis rhetorice scripsit quam historice neque ex hoc loco solo constabit de satura ueterum Romanorum carmine populari dramatico: quo

de carmine recte iudicat Vahlenus in Ennii editione prolegg. p. CCXIV.

Itaque M.Varro in II Plautinarum quaestionum cum ageret de Amphitr. u. 667 'Alcumenam ante aedis stare *saturam* intellego' quod adiectiuum idem significet quod l. s. 681 'pulchre plenam' i. e. *ἐγκύμονα*, adnotauit ille quidem doctissimus in cocorum sermone non auem quod expectes farcimine tamquam grauidam saturam appellari, sed ipsum farcimen, cum ab eo quod continet id nominetur denominatione facta quod continetur. Addidit idem praeceptum saturae qualia farciminis praecepta seruauit Apicius II 57—59 p. 50 Schuch. Neque igitur Varro neque Verrius de carminis nomine egerunt, cuius glossa apud Festum p. 314M. seruata est ex ordine uerborum cum *sa* incipientium delata in *st* incipientia uocabula (testim. I). Consentit de cibi genere Verrius cum Varrone, tacet de carmine satura, idem fuit legis saturae inuentor, quo nomine numquam lex talis, quales ne ferrentur uetuit lex Caecilia Didia anni 656/98, reuera appellatur apud antiquos scriptores. Quod nomen inde finxit Verrius Verriiue auctor, quod in legibus adscribebatur 'neue per saturam abrogato aut derogato' sicuti etiamnunc in aere legis repetundarum CIL I 198, 72 legitur 'extra quam sei quid in saturam feretur'. Quam locutionem *per saturam* ex oratoribus T.Annio et C.Laelio, tum ex Sallustio historico attulit Verrius, quibus locis tamen *per saturam* idem significat quod temere uel inordinate nulla distinctione adhibita nulloque facto discrimine rerum legitimo. Ne id quidem probari poterit supplendum esse reuera per saturam *legem*, sed iam Ennii temporibus probabile est *per saturam* locutione rem incondite et indiscrete et incomposite factam indicari esse solitam. Eodem modo Lucilius lib. I u. 48 hanc locutionem adhibuit: Sallustii locum multi imitati sunt quorum locos adscripsimus in commentario ad lib. I u. s. s.

Satura farcimen altilium

[Lex satura]

Proximus est Diomedis auctor grammaticus saeculi p. Chr. alterius qui p. 485, 34K. seq. (testim. IV) omnium primus et doctissimus de saturae carminis nomine egerit. Suetonio Diomedem usum esse constat: de Valerio Probo praeterea auctore alii cogitarunt ueluti Reifferscheidius Sueton. p. 371. 379. Cuius in disputatione tres facile discernuntur

Diomedis auctor

partes, quarum prima in parte (*a*)) saturam deducit aut a saturis uel ebriis aut satura a lance quo nomine appellabant sermone sollemni sacerdotes lancem plenam primitiarum uariarum: haec noua docuit grammaticus eaque Vergilii uersu nouissime addito confirmauit. Altera parte (*b*)) Varrone usus est, qui de altilium farcimine edocuerit: tum tertio loco (*c*)) Verrio usus esse uidetur qui de satura lege egerit eodem usus Sallustii exemplo, cum hic Verrii nonnulla exempla omittat, uersum Lucilii aut ipse addiderit aut omissum a Festo eidem debuerit Verrio. Quae praeter Diomedem a grammaticis proferuntur posterioris aetatis, ea aut e Diomede sumpta sunt aut merae nugae. Veluti quae profert Isidorus orig. V 16 (testim. II), ea e uerbis '*dicta a copia rerum et quasi a saturitate*' cognoscas e Diomede (testim. IV *a*)) esse ducta. Adiectiuum *satyricum* adhibuit Lactantius saeculo IV ineunte (uide supra p. X), eadem aetate Euanthius saturam a satyris Graecis deduxit (testim. VI) cuius futtilia commenta enarrare longum est sicuti ne Isidori quidem ineptias (orig. VIII 7, 7: testim. VII) iuuat pluribus explicare. In scholiastae Horatiani disputatione (testim. V) item multas apparet inesse ineptias ueluti quae de charactere saturae Horatianae dicuntur (b) et c)): cuius in principio una est posita etymologia Euanthii et Diomedis, in exitu sola Diomedis de saturae nomine sententia iterum occurrit. Lydi uana commenta unde ducta sint (de magistr. I 41 testim. XXX) cum exposuerimus ind. lect. uniu. Rostoch. 1888/9 p. 11 seq. hic locos auctorum satis erit indicasse: quae olim cum alios tum Kiesslingium deceperant in Horatii *satirarum* editione priore anni 1886 ad serm. I 4, 6: in posteriore editione *saturarum* 1895 locum Lydi iure contempsit.

Euanthius et Isidorus

Scholiasta Horatii

Lydus

Neque igitur ueteres grammatici consentiunt de significatione uerbi *satura* neque huius temporis uiri docti qui ueterum etymologiarum, quales tres prolatae sunt, pars hanc Latinam de cantu saturorum uel ebriorum hominum probarunt, alii illam de carmine uario amplectuntur: sunt qui Graecam esse originem nominis contendant neque saturam Latinorum diiungendam esse affirment a satyris Graecorum. Quam sententiam refutare olim studuit Isaac Casaubonus libro 'de satyrica Graecorum poesi et Romanorum satira' Parisiis 1605,

alii denuo defenderunt ueluti O. Ribbeckius hist. poes. Rom. I edit. II p. 9: conf O. Kellerus 'Lat. Volksetymologieen und Verwandtes' Leipzig 1891 p. 295seqq. Quam sententiam nec exemplaria Graeca commendant nec ratio nec ueterum auctoritas, sed Byzantina aetate eam coortam esse supra ostendimus. Longe probabilior altera illa ueterum doctrina secundum quam satura nomen deducitur a cantu saturorum uel ebriorum hominum quam sententiam multis commendauit Theodori Mommseni auctoritas histor. Rom. I (edit. VI) p. 28. Cantat profecto Cyclops satur cibo et uino apud Euripidem, eandem doctrinam de origine poeseos agrestis proferunt Lucretius (V 1390) et Tibullus poetae (II 1, 51: testim. VIII. IX) a saturitate olim Musas esse profectas canentes. Tamen haec doctrina nullo pacto poterit consociari cum Ennii saturis quibus nulla inerat neque maledictio probrosa (testim. XIV) neque insolentia contumax: hanc primus Lucilius intulit huic carmini (testim. XVIII). Praeterea nusquam traditur ab antiquis ueteres Latinos uersus fescenninos appellasse saturam uel saturas nominatas fuisse priscorum Latinorum carmina impudica: Liuii (VII 2, 7) testimonium (testim. X) iam supra p. X reiecimus. Itaque qui satura quid sit indagare uolet, nihil antiquius debebit habere quam ut Ennium consulat, carminis principem auctorem (testim. XVII). Hic scripsit satu- *Ennii saturae*
rarum libros IV quo in genere poeseos secutus eum est Pacuuius eius cognatus: uaria genera poematum continuisse libros Ennii et grammatici testantur (testim. XIV. XVI) et confirmant reliquiae neque improborum hominum aut ineptorum insectatione libelli Enniani sicuti Lucilii erant famosi. Quomodo inscripserit ipse Ennius *saturarum* qui a grammaticis dicuntur libros, hoc traditum non est, sicuti ne de Lucilii quidem operum inscriptione constat nisi grammaticorum auctoritate multo posterioris aetatis qui modo addunt genetiuum *saturarum* modo omittunt, neque magis constat de Varronis libris (testim. XXI). At Lucilius uidetur aut *poemata* sua carmina appellasse aut *sermones* (uide ad lib. XXX u. 1013. 1039 testimon. XX) quo nomine Horatius duos libros uoluit inscribi quos saturarum libros huius aeui grammatici appellant, non ueteres grammatici. Rectius dicas Horatium quat-

tuor libros saturarum scripsisse, quorum duo extremos quia *ἐπιστολικὸν* habent omnino charactera epistularum libros uocauerit, librum alterum, quamquam suum sibi habeat charactera *δραματικόν*, tamen noluit diiungere a primo libro et utrumque appellauit *sermones*. Quo in nomine Lucilium secutus est qui item in epistolarum formam multas redegerat saturas: quod de libro V constat (uide ad lib. V u. 181 seqq.), de aliis libris licet iure suspicari.

At Senecae saturae titulus 'apotheosis Annaei Senecae per saturam' et Pescennii Festi librorum 'historiarum per saturam' (testim. XXVIII. XXIX) uidentur esse efficti ad exempla uetusta, ita ut suspiceris, cum satura Menippea auctore Quintiliano X 1, 95 (testim. XVI) ad Ennianam pertineat saturam, et Ennium carmina sua inscripsisse 'poemata per saturam' et Lucilium 'sermones per saturam': unde omnino uerbum satura quod ante Horatium (sermon. II 1, 1) non occurrat deductum esse uideatur. Veluti Caesar Octauianus saturam suam qua Pollionem lacerauit (Macrob. Saturn. II 4, 21 testim. XXVI) non hoc nomine inscripsit, sed uocauit fescenninos. Differt autem satura Lucilii ab Enniana ea tantummodo re, quod Lucilius homines potentes et humiles laesit nominatim uersibus acerbissimis, quod Ennius non fecit: congruunt in eo, quod uterque poeta uaria autoschediasmata per saturam i. e. inordinate et incomposite conscripta ediderat.

Recte igitur Kiesslingius in prolegg. editionis II saturarum Horatii p. VIIII Q. Ennium iudicat Latine reddidisse *satura* locutione Graecorum poetarum titulos, quales sunt *ἄτακτα* uel *σύμμεικτα* quibus collectiones uariorum poematum illi significabant. Quod tamen idem uir doctus iudicat Ennium hoc uocabulum ipsum formasse ita ut tacitum lectorem uoluerit supplere *poesis* cum similitudinem legis saturae lancis saturae farciminis illius spectaret, hoc, opinor, credi ideo nequit, quod docti grammatici posterioris aetatis hanc similitudinem e legum tabulis precationum formulis culinae sermone poterant complures deinceps indagare, uulgus intellegere non poterat. Qui saturam ueterem Latinorum fuisse cantilenam statuunt, ei, si cum Ennio uariorum poematum carmen antiquitus saturam fuisse iudicant, concedere debent tale carminis nomen

uix esse aptum rudi et prisco carmini gentis adhuc ferae et ineruditae, multo aptius esse poesi senescenti populi nimis iam in litteris maturi. Contra qui saturam ebriorum et saturorum cantilenam turpem esse uolunt genusque carminis apud priscos Latinos usitatum, ii hoc primum debent demonstrare fuisse tale antiquitus genus carminis; tum statuant oportet iam uetustissimum saturae auctorem Q. Ennium saturae nomen falso intellexisse et adhibuisse. Itaque cum certa certis euincere argumentis nequeam, coniecturam amplector eam quae uideatur talibus coniecturis probabilior similiorque ueri. Satura non fuit uetus Latinorum cantio fescenninorum similis pipuliue publici neque uarium significat poema neque ebriosum, sed Q. Ennius uariorum poematum collectionem quam uoluit uideri inconditam et e uestigio factam appellarat 'poemata per saturam': Lucilius nouo modo hunc titulum usurpauit cum inscriberet 'sermonum libri per saturam' quem constat lib. I u. 48 locutionem *'per saturam'* iam aduerbii instar usurpasse ueluti *inordinate et festinanter*, *ἀτάκτως καὶ ἀκόσμως* sicuti etiam Sallustius adhibuit. Quomodo e locutione *per saturam* quae erat in legibus nata est illa de lege satura grammaticorum doctrina, item Ennius et Lucilius cum *per saturam* poemata sua esse facta indicarent, inde natum est ante Horatium qui primus uocabulum exhibet saturae carminis nomen. Simili ratione neque tamen eadem scribitur *Ἄρατος ἐν τοῖς κατὰ λεπτόν*, unde postea nata sunt Catalepta Maronis. Neque enim in omnibus Lucilii libris insectatio quaedam inerat uitiorumque persecutio; sed iter Siculum libri III et elegidia in seruulos libri XXII una cum reliquis merito aliquis dixerit poemata per saturam similia Ennianorum. Hinc intellegitur, quod et Varro, cum de poesi Luciliana ageret (testim. XXV), non *satura* usus est uocabulo, sed *libellos* dixit *charactere Luciliano*, item in eiusdem generis disputatione Trebonius hoc uocabulo non usus est (testim. 71) neque Horatius libros suos inscripsit saturarum sed sermonum, et Varro et Verrius in saturae uocis interpretatione poema omnino non commemorarunt: contra Persii Juuenalisue libros nemo umquam appellauit sermones, saturas omnes appellarunt. Itaque sicuti in grammatica, ita in poetica aetate

demum imperatorum uocis *saturae* confirmata est auctoritas.

Lucilii satura. Lingua Latina unum tantummodo habuit nomen quo poetam nominet: fescenninus uocabatur ille eiusque uersiculi fescennini. Quod uocabulum si reuera est Tuscae originis, poetae nomen apud Latinos omnino erat nullum, nam *uatis* nomen a Gallis accitum, *poetae* a Graecis. Lucilius num in saturis suis fescenninorum hic illic imitatus sit licentiam, nos diuinare non iam possumus. Saturam Romani coloris quam Plautus uel poeta quidam Plautinus inseruit Curculioni uu. 466—485 qua populum Romanum carpit uicatim sicuti postea Lucilius tributim (uide ad incert. u. 1262), eam conicias licet ad idem exemplum poeseos popularis esse compositam quod etiam Lucilius potuit aemulari. Cuius poetae in poesi multa sunt et mirabilia et obscura. Veluti secundum legem XII tabularum capite puniebantur qui malum carmen in quem condiderint (Mommsenus Roem. Strafrecht Leipzig 1899 p. 794): quare inprimis mireris poetae audaciam qui primores populi populumque arripuerit tributim, eo magis quod in scaena publice a mimo nominari noluerit (conf testim. 17). Qua in re considerandum est inprimis ciuem Romanum eum non fuisse, sed peregrinum, Italicos autem Lucilii aetate iure suo contendisse sese legibus p. R. non teneri (Macrob. Saturn. III 17, 6): posteriore demum tempore lata est lex Iulia illa quae auctore schol. Iuuen. I 162 'uiuorum uitia uetat carpi'. Excusabatur praeterea saturae acrimonia eo quod oratores non tantum in foro immodicis uti illa aetate solebant in aduersarios conuiciis, sed etiam tales orationes scriptas edere solebant 'etsi Sulla uoluit ne in quemuis inpune declamari liceret' (Cic. epist. III 11, 2). Denique ni omnia fallunt mitior in singulos annos facta est Lucilii satura. Libris XXVI—XXX Lupum uiuum et Metellum laesit et famosis uersibus cooperuit: at libro I sicuti postea Iuuenalis iam expertus est, quid concedatur in illos quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina, libro II Albucii orationem contumeliis et conuiciis plenam in Q. Scaeuolam uersibus reddere potuit inpune, libro IX Accii orthographica irrisit ioco modesto et procul qui sit a periculo uindictae.

Etiam metrum quod saturae conueniret non statim inuenit primo conatu. Exorsus est metro omnium maxime populari et Romae postquam Saturnium rus relegauerunt et Athenis (Plutarch. Sull. cap. 2), septenario trochaico, metrorum omnium uetustissimo Graecorum, quod naturali quadam lege conformatum fuit a saltatoribus priscis temporibus et etiamnunc in nostris nostri aeui saltationibus omnium fere gentium principalem obtinet locum. Octo enim pedibus constant etiamnunc uersus omnium saltationum, tripodationes igitur uersibus constant $8 \times 3 = 24$ temporum: ad cuius uersus longitudinis spatium ante carminis Homerici tempora redactus est epicus hexameter temporum $6 \times 4 = 24$, qui saltationi numquam uidetur inseruiisse. Hoc metro usus est poeta libris XXVI et XXVII, libris XXVIII et XXVIIII praeter septenarios noua temptauit metra senarium et heroum: inde a libro XXX satura Romana continetur solo hexametro. Vnde apertum fit quam inepte Lydus de magistr. p. R. I 41 (testim. XXX) Lucilium tradat a Rhinthone exorsum esse, qui hexametris comoediam conscripserit primus. Qui cum de Pythagoreis ortam esse saturam Romanam professus sit, semidoctorum illorum somnia secutus est, qui inde a uetustissimis temporibus Graeculis credentes nugantibus Romana instituta a Pythagorae praeceptis deducebant. Cuius filius Aemylos quod Aemiliae gentis traditur fuisse princeps (Paul. ex Fest. p. 23 M. Plut. Numa 8), eam fabulam iam extitisse anno fere 554/200 testantur inscriptiones Graecae quae formam exhibeant Graecanicam *Αιμυλιος* in Dittenbergeri syllog. edit. II 268, 118. 928, 60. 588, 104. *Metra Lucilii*

Haec praemittenda esse duxi, non quo colligerem omnia, quaecumque inde a Casaubono de satura prolata erant iudicia a uiris doctis, sed quia Lucilii editorem aequum erat confiteri quid sentiret de hac quaestione omnium difficillima et usque ad taedium lectorum agitata.

DE VITA ET POESI C. LUCILII.

De nomine C. Lucilii nulla est dissensio neque de patria poetae. Illud quin antiquitus usitatum fuerit apud Latinos non dubium est, cum in speculo Praenestino (CIL XIV 4104) *Lucilii nomen*

quod saeculi ante Christum IV esse iudicat Gustauus Koerte (specul. Etrusc. uol. V p. 201 tab. 151) scriptum legatur *Ceisia* Patria *Loucilia*. Natum fuisse poetam Suessae Auruncae testis est Iuuen. I 20 (testim. 1): erat igitur Latii adiecti municeps, cum oppidum Suessa in ea regione situm fuerit, ubi populi Osci uideantur antiquitus sedes habuisse. Quod testantur non nummi Auruncorum Oscis litteris insigniti de quibus falsam uulgo ferri opinionem adnotat de Planta gramm. dial. Osc. Vmbr. II p. 647, sed Stephanus Byzantius qui s. u. *Μέντυρνα* proximum oppidum Menturnas tradat Dionysio Halicarnassensi Sermo auctore *Σαννιτῶν* fuisse. Quod poeta Graecis litteris egregie fuit doctus, id eruditioni eius tribuendum, non Campaniae uicinitati: quod Graecis et Oscis uocabulis usus est nonnumquam (incert. u. 1249. 1318), ne eius rei quidem causam iure ponas in Campaniae uicinia, cum etiam uocabula Vmbrica Gallica Tusca Sarda Syriaca alia inueniantur in eius poematis. Quodsi Varro apud Charisium GL I p. 111, 23 K. tradit '*quando* particulam pro *cum* ponere Formianos et Fundanos', talis Latinitatis uere Auruncae uestigia extant apud Lucilium lib. V u. 182 et XXX u. 1049. Legenda sunt praeterea quae de Auruncis et de Suessa urbe enarrauit Henricus Nissen Ital. Landeskunde II 2 Berol. 1902 p. 656—667.

Sicuti ultimus saturae scriptorum D. Iunius Iuuenalis, ita princeps C. Lucilius non erat Romae natus ubi pedestris sermonis Musae egregie fauebant nascentibus, poesis numquam suos sibi inuenit alumnos, sed homo Latinus; neque ciuis Romanus hic fuisse putandus est sed socius nominis Latini. Saturae Lucilianae reliquias cum perlustramus, mox intellegimus flagrare poetam odio uxorum et matrimonii ueluti libro XXVI et XXX passim mulierum et nuptarum castigat mores turpes et impudicos; uide quae adnotauimus ad XXVI u. 678 seqq. XXX u. 990 seqq. Contra celebrat poeta meretricum et puerorum nomina, ueluti Gentii Macedonis Agrionis Hymnidis Cretaeae, immo aetate fere exacta grandaeuus Collyrae librum dedicauit amicae XVI: ubique in poematis eius mille puellarum, puerorum mille furores. Qui cum lib. XXVI u. 684 seq. scripserit 'ferri tantum, si roget me, non dem, quantum auri petit: si secubitet, sic quoque a me, quae roget, non impetret',

facile intellegitur poetam caelibem uixisse nec umquam lectum genialem in eius atrio fuisse collocatum. Tradit Liuius XLI 8, 9 'Lex sociis ac nominis Latini, qui stirpem ex sese domi relinquerent, dabat, ut ciues Romani fierent'. Praeterea ciuitatem consequi poterant ei, qui in oppidis Latinis magistratu erant functi maiore (Appian. bell. ciu. II 26 Mommsenus de iure publico p. R. III 1 Lips. 1887 p. 639 seqq.). At Lucilius non is erat ut sese aliquem crederet 'Italo quod honore supinus fregerit heminas Auruncae aedilis iniquas'. In sociis igitur siue Italicis erit ponendus: quod nisi faciemus, multo minus amicitia illa qua cum Scipione Aemiliano sociorum patrono erat coniunctus recte poterit intellegi.

Itaque cum caelibem uixisse poetam magnopere sit proba- *Genus*
bile, fratris eius propago clara facta est et illustris matrimonio nobili. In commentario enim uetere in Horatium, unde ea quae nunc seruata sunt deducta sunt commenta, adnotatum erat ad serm. II 1, 29 et 75 Lucilium et ualde nobilem fuisse et diuitem, utpote qui auunculus maior fuerit Magni Pompei (uide testim. 2). Solus Porphyrio addit 'Etenim auia Pompei Lucilii soror fuerat'. Sed errauit ille quisquis fuit commentarii auctor, nisi quod recte fere adnotauit affinitatem illam altero sursum uersum gradu fuisse positam. Nam etiamsi uim uocabuli *auunculus maior* uariam apud scriptores fuisse enarrant lexica Latina omnia, tamen proprie dicitur auunculus magnus uel maior auiae frater sicuti Porphyrio l. s. adscripsit. Aliam tamen rationem fuisse illam affinitatis edocet Velleius II 29, 2 (testim. 3) qui matrem Magni Pompei tradat fuisse Luciliam, stirpis senatoriae. Minime tamen probabile est et auum Pompei et patrem Lucilias eiusdem nominis duxisse uxores sed errasse Horatii scholiastam sicuti Hieronymus Pacuuium falso dicit Ennii poetae ex filia nepotem, quem recte Plinius dixerit Ennii sorore genitum (Sueton. p. 36 R). Fuit igitur Lucilius poeta Cn. Pompei Magni patruus magnus siue matris eius patruus, frater Lucilii ordine senatorio et ciuis Romanus, cuius filia nupserit Cn. Pompeio Straboni cos. 665/89 anno fere 646/108, cum Cn. Pompeius Magnus natus *Diuitiae*
sit anno 648/106. Cn. illum Pompeium admodum inuisum fuisse populo tradit Plutarchus Pomp. cap. 1, *αἰτία δὲ τοῦ*

μὲν μίσους ἐκείνῳ μία, χρημάτων ἄπληστος ἐπιθυμία unde patet eum uxorem duxisse e diuite domo ampliterque dotatam, quippe cui non tantummodo suam partem de re patris, sed etiam de patruo caelibe hereditate obtigisse probabile sit fortunam grandem. Illa denique Magni Pompei affinitate factum est, ut grammatici domus Pompeianae ueluti Pompeius Lenaeus Curtius Nicias Pompeianorumque amici ueluti Valerius Cato inprimis Lucilio operam dederint: contra quos pugnat Q. Horatius partium Caesaris sectator acerrimus in saturis I 4 et 10. Denique si reuera poeta lib. XII u. 427 'hunc, siquid pueris nobis, me et fratre fuisset' de sua gente locutus est, duo tantummodo filios habuerat Lucilii pater: quibus si quid prima aetate acciderit, hominem quendam fidelem et integrum sororum et domus suae constituerat tutorem. Conuenit denique cum eis, quae de diuitiis et nobilitate domus Lucilianae tradita sunt, quod eques poeta stipendia meruit (testim. 9): sicuti auctore Liuio (XXIII 4, 8) inter trecentos illos equites, qui bello Hannibalico in praesidia Sicularum urbium missi sunt, 'nobilissimus quisque' erat Campanorum. Atque Suessa Aurunca iussa erat anno 550/204 sexaginta dare equites auctore eodem Liuio XXIX 15, 6 (XXVII 9, 7) quam locupletissimos (conf Stud. Lucil. Bonn. 1882 p. 92). Neque fugiet eum qui saturarum reliquias accuratius perlegerit auctorem
Praedia fuisse hominem diuitem et pecuniosum, praediis et agris locupletem, rei rusticae gnarum (uide testim. 6 et 4: incert. u. 1246), rei equestris peritissimum et studiosissimum (uide quae diximus ad lib. XV u. 506 seqq. VIII u. 313 seqq. XXX u. 1041 seqq. incert. u. 1109), qui se ipsum lib. XII u. 428 seq. ut prodigum pecuniae descripsisse uideatur 'huic homini quaestore aliquo esse opus atque corago publicitus qui mi atque e fisco praebeat aurum': quae uerba relata esse uidentur ut patris ex ore accepta sumptum filii uituperantis. Habuisse Lucilium praedia in Sicula terra coniecimus ex lib. XXVI u. 667 ubi legenda quae in commentario exposuimus.

Familia Memoratur Lucilii dispensator infidus domino lib. XXIX u. 879 seqq., Lucilii columella fidus domino nomine Metrophanes XXII u. 580, Pacilius tesorophylax XXII u. 581, Symmachus bubulcus III u. 105, Aristocrates uilicus XV u. 512.

Quare apud Cic. de or. II 284 quae leguntur (testim. 5) 'ut Appii maioris illius qui in senatu, quom ageretur de agris publicis et de lege Thoria et premeretur Lucilius ab iis, qui a pecore eius depasci agros publicos dicerent "Non est" inquit "Lucilii pecus illud, erratis" — defendere Lucilium uidebatur — "ego liberum puto esse, qualibet pascitur"' non dubito quin neque ad ignotum quendam Lucilium neque ad fratrem poetae neque ad Lucullum quendam cuius nomen exhibet cod Harleianus sed ad celebrem poetam pertineant, quem Cicero in eodem opere II 253 III 86. 171 item nominet omisso praenomine. Recte igitur codd recentiores *Lucilius* ideo, quod nomen Luculli solent librarii supponere nomini poetae ueluti Apuleii (uide lib. VII u. 272) Ciceronis (incert. u. 1305). Poetam in senatu adfuisse probabile est, cum legati munere fungeretur missus uel ab ordine Suessano uel a pluribus sociorum municipiis de rebus sociorum nominis Latini (conf Mommsenus de iure publico p. R. III 2 (1888) p. 960, 4). Aduersarius eius erat Appius Claudius Pulcher cos. suffectus anni 624/130 (CIL I edit. II 1 p. 35 Muenzerus in Wissowae encyclop. s. u. Ap. Claudius 11) sicuti infestum esse poetam Pulchrorum genti cernimus lib. I u. 23. 24. Lex Thoria cum lata sit anno 640/114 (Appian. b. c. I 27 extr., 19 med. Kornemannus Beitr. z. a. Gesch. 1. Beiheft Leipzig 1903 p. 52), post anno 643/111 ea quae hodie seruata est lege agraria CIL I 200 sublata fuerit, inter annum 640/114 et 643/111 actam illam rem in senatu erit statuendum. Neque minus quam *Domus* praedia eius diuitias testantur aedes quas regales habuit Romae (uide testim. 7) de quibus mox agetur. Erat igitur Cn. Pompeius Magnus 'a materno genere municipalis, honestissimi ac nobilissimi generis' ut de Torquato ait Cicero pro Sull. 25, Lucilius poeta recte dicetur, ut M. Tullius Albius Tibullus A. Persius alii, 'municipalis eques' (Iuuen. VIII 238).

De aetate poetae non est quod dubites. Quem floruisse *Aetas* post Terentium Pacuuii Accii Afranii aequalem tradunt Gellius XVII 21, 49 Velleius II 9, 3 (testim. 8. 9). Quod Macrobius Sat. III 16, 14 C. Titium, summum oratorem, qui latam anno 593/161 legem Fanniam suasit uirum appellat *aetatis Lucilianae*, de hoc testimonio infra copiosius disputabitur.

C. Titius orator cum teste Dione Cassio (fragm. 100 B.) anno 665/89 turbas fecerit in Catonis exercitu, non potuit suadere anno 593/161 legem Fanniam neque plane aetas eius congruisse uidetur cum Lucilii aetate, sed aetate fuit orator ille inferior; neque suasisse uidetur ille legem Fanniam, sed potius laudasse illam in suadenda lege aliqua sumptuaria, ueluti Licinia, cuius etiam Lucilius meminerat in saturis (uide incert. u. 1200).

Annus quo mortuus est Lucilius

Neque de anno quo mortuus sit poeta est quod dubitemus. Positus est hic annus in Hieronymi chronicis ad annum Abrahae 1915 olymp. 169, 3, qui est u. c. 652/653, a. Chr. 102/101 (uide testim. 11), secundum codicem Amandinum; quem solum fundamentum esse in chronologia Lucilii is pro certo habebit, qui Lucretii chronologiae diligentius operam dedit. Vbi adnotat Hieronymus ex Suetonii libro de poetis: 'C. Lucilius satyrarum scriptor Neapoli moritur ac publico funere effertur anno aetatis XLVI'. Quem annorum numerum cum omnes testentur codices, solo in Amandino non offendit lectorem cum hic codex recte annum natalem poetae ponat ad Abrahae 1869: huc adde 46 et peruenies ad annum illum 1915, cum reliqui codd omnes aut hoc in numero aut illo uarient aut in utroque atque his uitiis rationem male perturbent. Neque est nunc quod quaeras eque labores, falsusne an rectus sit hic annorum numerus quem omnia Hieronymi confirmant testimonia. Atque in saturis quidem Lucilii, qui ultimus memoratur annus est 647/107 (uide testim. 38 incert. u. 1180. 1181). In dialogo de oratore quem habitum esse fingit Cicero anno 663/91, interlocutores inducit de C. Lucilio loquentes ut de mortuo I 72 'Sed ut solebat C. Lucilius saepe dicere . . .' (incert. u. 1241 testim. 12) II 25 'Nam ut C. Lucilius, homo et doctus et perurbanus, dicere solebat . . .' (lib. XXVI u. 592) III 171 'In quo lepide soceri mei persona lusit is, qui elegantissime id facere potuit, Lucilius . . .' (lib. II. u. 84 seqq.). Confirmari praeterea ea, quae apud Hieronymum de anno, quo poeta mortuus sit, tradita sunt a Plinio iam Gerlachius intellexit edit. p. VIII. Plinius enim nat. histor. XXXVI 185 quod tradit 'frequentata uero pauimenta ante Cimbricum (bellum) magna gratia animorum indicio

est Lucilianus ille uersus' (lib. II. u. 85), ea re probari arbitratur secundum Plinii sententiam uixisse poetam usque ad annum fere 649/105. De hoc Plinii loco postea agetur (p. XXVI: conf testim. 15). Obiit igitur poeta anno 652/102 uel 653/101.

De anno natali

Atque cum constet de anno quo obiit poeta, minus constat de anno eius natali. Quem annum notum fuisse grammaticis ueteribus inde consentaneum est, quod Horatio auctore serm. II 1, 32 (testim. 16) saturis eius factum est 'ut omnis uotiua pateat ueluti descripta tabella uita senis'. Quo testimonio apertum fit *senem* poetam non tantummodo obiisse, sed etiam scripsisse saturas suas. Coepisse poetam saturas scribere anno 623/131 mox uidebimus, desiisse eum anno 649/105. Quodsi anno 623/131 inter seniores aetate erat numerandus, natum eum fuisse suspiceris anno fere 573/181. Tamen longe alium annum natalem tradit Hieronymus (testim.13), qui ad annum Abrahae 1869 i. e. 606/148 uel 607/147 adnotarit 'Lucilius poeta nascitur', ad illum annum quo obiit 652/102 uel 653/101 addiderit congruenter 'anno aetatis XLVI' poetam decessisse. Atque cum satis copiose Hieronymus de Lucilio egerit ad annum quo mortuus est, illi anno quem natalem eius dixit nihil nisi nomen apposuit gentilicium: unde apparet utro loco Suetonii librum ipsum inspexerit et unde profectus sit in aetate poetae definienda. Recte eum tradere de anno mortis, falso de anno natali et de aetate poetae consentiunt uiri docti. Nam Lucilium puerum XIV annorum equo meruisse bello Numantino (testim. 9) nemo credet neque Aemiliani amicum summum fuisse annorum XIX uel XVIII eo anno, quo mortuus est Scipio. Abiciendum erit Hieronymi de natali poetae testimonium. Consules A. Postumium Albinum C. Calpurnium Pisonem anni 574/180 positos fuisse apud Suetonium, quo loco de anno natali poetae ageret, coniecit M. Hauptius (annal. philol. CVII 1873 p. 72. 365), sed consules Sp. Postumium Albinum L. Calpurnium Pisonem anni 606/148 idem arbitratur intellexisse perperam Hieronymum, cum parum curaret praenomina: unde illum uitiosum annorum XLVI numerum eum deduxisse. Qua coniectura nil probabilius.

Quo tempore Romam uenerit

Aequalis igitur fere erat P. Cornelii Scipionis Aemiliani qui natus erat anno 569/185 (Cic. de rep. I 23 Liu. XLIV 44, 3): Caietae Scipionem et ad Lauernium praedia et uillas habuisse quae regiones prope absunt a patria Lucilii testantur Cic. de orat. II 22 de fato fragm. 5 ap. Macrob. Sat. III 16, 3. Quo tempore nactus sit uiri primarii amicitiam non traditur. Sicuti de aliis poetis, ita de Lucilio quoque egerat Atticus in annali et certum aetatis annum de uita poetae eruisse eum conicias ex titulo operis et ex eius reliquiis. Adnotat enim Asconius in Ciceronis Pisoniana p. 12, 9 K. S. (testim. 7) 'Tradunt et Antiochi regis filio obsidi domum publice aedificatam, inter quos Atticus in annali (fragm. 6 Peter.), quae postea dicitur Lucilii poetae fuisse'. Antiochus est Magnus ille quem L. Cornelius Scipio uicit anno 564/190: filius est Antiochus IV Epiphanes, qui per annos XIV obses Romae commoratus est, nobilissimo cuique amicus, a senatu comiter tractatus et humane (Liu. XLII 6, 9). Anno 579/175 fratris filius Demetrius obses Romam missus est, ille domum remissus (Appian. Syr. 45). Mansit Demetrius Romae usque ad annum 592/162, quo anno Polybii opera adiutus aufugit quam rem lepidissime narrauit historicus lib. XXXI cap. 19 seqq. Atque coniunctum eum fuisse amicitia cum Scipione Aemiliano Polybii amici persona indicio est. Domum autem illam C. Lucilius paulo post annum 592/162 emisse uidetur censoribus P. Cornelio M. Popillio anno 595/159 cuius magistratus fuerit aedes publicas uendere (Mommsenus de iure publ. p. R. II 1 (1887) p. 438). Quam domum senatus uendidit haud inuitus. Nempe patebat fuga Demetrii Romae obsides parum esse tutos quos satius erat tenere in municipiis ueluti Albae Fucenti alibi (conf Mommsenus de iure publ. p. R. III 2 (1888) p. 1110, 2). Simili ratiocinatione usum fuisse Atticum in annali probabile est quae ea re tantummodo incertior possit uideri quod domus illius regiae inter Demetrium et Lucilium alium interpositum fuisse domnaedium conicias. Neque tamen Asconii uerba ea sunt quibus talem sententiam putes commendari. Domum igitur regiam habuit Lucilius Romae ubi de nimia mercede aedium conducticiarum illo tempore rex Ptolemaeus conquestus est auctore Diodoro XXXI 18, 2.

Bellum Numantinum

De rebus gestis Lucilii et de uita eius qualis fuerit ante bellum Numantinum, nihil traditum est apud antiquos: bello Numantino eques ille militauit auctore Velleio II 9, 3 (testimon. 9), annorum si recte natalem supra posuimus XLVI. Fuit igitur in Hispania annis 620/134 et 621/133 menses XV (Vellei. II 4, 2), Scipionis Aemiliani contubernalis, unde rediit auctumno anni 621/133 Romam (uide ad lib. XXVI u. 592 seqq.). Stipendia meruit in Hispania poeta, quo magis Scipioni placeret, cui opus erat non solum milite et equo sed inprimis nummo. Traditur [Plut.] apopthegm. Scip. min. 15 *ὡρμημένων δὲ πολλῶν ἐπὶ τὴν στρατείαν, καὶ τοῦτο διεκώλυσεν ἡ σύγκλητος ὡς ἐρήμου τῆς Ἰταλίας ἐσομένης. καὶ χρήματα λαβεῖν τῶν ἑτοίμων οὐκ εἴασαν, ἀλλὰ τὰς τελωνικὰς προσόδους ἀπέταξαν οὔπω χρόνον ἐχούσας. ὁ δὲ Σκιπίων χρημάτων μὲν οὐχ ἔφη δεῖσθαι, τὰ γὰρ ἑαυτοῦ καὶ τῶν φίλων ἐξαρκέσειν*: in quibus amicis Lucilium diuitissimum fuisse consentaneum est. Atque de cohorte praetoria, de militum quos Scipio coercuit luxuria desidia superstitione, de fortiter factis et ignaue, de Hibera terra passim in saturis egerat poeta: uide ad lib. I u. 10 VII u. 288 seq. XI u. 398 seq. 405 seq. XV u. 490 XIV u. 467 seqq. Equitibus praeerat P. Rutilius Rufus historiarum scriptor (Appian. Iber. 88: uide ad lib. XXVI u. 594), tribunus militum qui esset ut Sempronius Asellio historicus in exercitu Scipionis (Gell. II 13, 3): una merebat C. Gracchus (Plut. Ti. Gracch. 13, 1), illuc elephantos et leuem armaturam adduxit Iugurtha qui et Latine loqui didicit in castris (Sallust. Iug. 101, 6) et Romae omnia uenalia esse ex amicis illic accepit (Sallust. l. s. 20, 1): Latinorum clarissimi erant C. Marius Arpinas (Vellei. II 9, 4) et C. Lucilius Suessanus. Anno 622/132 triumphauit P. Scipio de Numantinis C. Lucilii patronus, eodem anno L. Accii patronus D. Iunius Brutus de Callaicis (Eutrop. IV 19).

Scipio et Lucilius ubi redierunt Romam ex Hispania, occiso Ti. Graccho in magnas uterque delati sunt turbas et pericula. Ille infestus plebi et Gracchanis cottidie magis odio erat multitudini et populo Romano, hic cum et inter socios fuerit et nominis Latini sollicitus esse debebat de praediis suis et suspectus populo propter diuitias. Tresuiri enim agris

dandis adsignandis iudicandis neque publico agro in terra sociorum neque priuato parcebant dum plebi comes et munifici uiderentur: ubique turbae querelae lites innumerae ea re exortae quas enarrat Appianus bell. ciu. I 18 (Zeitschrift f. d. gebild. Welt IV 1883 p. 230). Idem cap. 19 pergit hoc modo: *ταῦτά τε δὴ καὶ τὰς ἐπὶ τούτοις τῶν δικαζόντων ἐπείξεις οὐ φέροντες οἱ Ἰταλιῶται Κορνήλιον Σκιπίωνα, ὃς Καρχηδόνα ἐπόρθησεν, ἠξίουν προστάτην σφῶν ἀδικουμένων γενέσθαι. ὁ δ' ἐς τοὺς πολέμους αὐτοῖς κεχρημένος προθυμοτάτοις ὑπεριδεῖν τε ὤκνησε ... καὶ μῖσος ἐντεῦθεν ἤρξατο ἐς τὸν Σκιπίωνα τοῦ δήμου καὶ ἀγανάκτησις, ὅτι αὐτὸν ἀγαπήσαντες ἐπιφθόνως ... ὕπατόν τε δὶς ἑλόμενοι παρανόμως ὑπὲρ τῶν Ἰταλιωτῶν ἀντιπεπραχότα σφίσιν ἑώρων.* Non dubium est, quin Lucilio inprimis rogante patrocinium sociorum susceperit Scipio quem Lucilius quo iure incert. u. 1138 'Cornelius Publius noster Scipiadas' dixerit in commentario pluribus exposuimus. Publico funere postea quod de decurionum decreto elatus est poeta Neapoli, id factum esse apparet et ob munificentiam hominis diuitis erga oppidum, in quo diem supremum obiit, et ob merita eius in socios Italicos. Itaque quam sectam et factionem in republica secutus sit poeta, non est quod exponatur pluribus: infestus erat Gracchanis, nobilitatis fautor, inprimis Scipionis partibus addictus, sicuti debebant esse socii et nomen Latinum (Sallust. Iugurth. 42, 1 Cic. Phil. VIII 4, 13 de rep. III 29, 41). In his turbis litibus querelis clara illa nata est satura Lucilii. Constat enim et de anno quo exorsus sit poesin suam noui generis nec minus de anno quo stilum deposuerit.

Quo tempore saturas scribere coeperit

Atque Velleius II 9, 3 (testim. 9) cum scribat 'celebre et Lucili nomen fuit, qui sub P. Africano Numantino bello eques militauerat' plusquamperfectum cum posuerit, dilucide ille indicauit Lucilii poetae nomen saturis inclaruisse, postquam rediit e bello Numantino. Itaque ante annum 622/132 saturas nondum emiserat poeta quam sententiam esse, quae saturarum extant reliquiae, plane confirmant. Neque quo tempore desierit carmina facere obscurum erit. Plinius nat. hist. XXXVI 185 de pauimentis ita tradit 'Romae scutulatum in Iouis Capitolini aede primum factum est post tertium

Quo tempore desierit carmina facere

bellum Punicum initum, frequentata uero pauimenta ante Cimbricum magna gratia animorum indicio est Lucilianus ille uersus (lib. II u. 85) "arte pauimento atque emblemate uermiculato" '. De re ipsa perperam iudicauit Plinius: sed quo tempore Lucilius scripserit, id edidicerat grammaticus et historicus ex doctorum libris, quod intellegi potuerit e prohoemio quod Lucilius libris I—XXI praeposuerat a se ipso editis (uide ad lib. I u. 1). Atque cum Cimbris quidem primum pugnatum est C. Caecilio Cn. Papirio coss. anno 641/113; Plinius quoque nat. hist. II 148 complura distinguit bella Cimbrica cum scribit 'Armorum crepitus et tubae sonitus auditos e caelo Cimbricis bellis accepimus' XVI 132 'Factum hoc populi Romani Quiritibus ostentum Cimbricis bellis Nuceriae in luco Iunonis ulmo' (anno 650/104: Obsequ. 43 (103)). Sed Cimbricum bellum cum singulariter appellet Plinius, id manifesto spectat quod gestum est inde ab anno 649/105 usque ad annum 653/101 sicuti iam Gerlachium iudicasse supra indicatum est. Liu. per. 67 'Marius triumphali ueste in senatum uenit . . . eique propter metum Cimbrici belli continuatus per complures annos est consulatus (anno 650/104)' Plin. nat. hist. XXII 11 '. . . contigit eius coronae honos . . . centurioni uero uni ad hoc tempus Cn. Petreio Atinati Cimbrico bello. primum pilum is capessens sub Catulo e. q. s. (652/102)'. Itaque celebre nomen fuisse Lucilii Romae statuendum erit inde ab anno 622/132 usque ad annum 648/106 et per hoc spatium poetam XXX uolumina saturarum composuisse: cenam Granii quam bis narrauerat poeta Romae actam fuisse constat anno 647/107 (uide incert. u. 1180). Qua aetate clarissimi erant poetae Romae L. Accius et C. Lucilius: utrumque mimus quidam in scaena ita tunc contumeliose laesit, ut et tragicus et quod mireris Aristophanis ille imitator Lucilius iniuriarum cum eo ageret (rhet. ad Her. II 13, 19 extr. I 14, 24 pr.: testim. 17). Neque tamen mirandum absoluisse iudicem C. Caelium eum qui Lucilium laeserat, condemnasse iudicem P. Mucium histrionem illum qui Accio maculam publice imposuerat. Absoluit nimirum ille ideo, quod saturis suis homines ille nominatim insectatus erat passim; unde causam illam post editos libros XXVI—XXX,

Lucilius in scaena laesus ab histrione

annum dico 624/130, actam fuisse statuendum erit, ante annum 639/115 quo censores L. Metellus Cn. Domitius artem ludicram ex urbe remouerunt quos offensos fuisse conicias tali licentia scaenica. Sed etiam Athenis Atticis bene notum fuisse Lucilium inde intellegitur quod Clitomachus Academiae antistes librum ad eum misit, cuius argumentum exponit Cicero Acad. II 32, 102 seqq. (uide testim. 18): Academiae historiam anno fere 624/130 exponit Lucilius lib. XXVIII u. 754 seqq.: neque tamen, quo tempore librum illum ediderit Clitomachus, accuratius poterit definiri nisi quod certum est scriptum illum fuisse ante Clitomachi obitum i. e. annum 644/110 (conf S. Meklerum Acad. ind. Herculanens. p. 120), tum probabile uidetur gratiam poetae petisse philosophum Scipione etiamtunc uiuo apud quem plurimum ille honore et auctoritate polleret. Scipionem clarae illius legationis principem (uide ad lib. XIV u. 464 seq.) quam anno fere 615/139 confectam esse statuimus, laudauit teste Posidonio (Plut. cum princ. esse philos. 1 p. 777 A) uersu Homerico *'ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντα* (apopthegm. Scip. min. 13 p. 200 E.), Romae fuerat anno 599/155 (Cic. Acad. II 137) ubi familiaritate Lucilii philosophum usum fuisse ueri simillimum est.

Clitomachi amicitia

Itaque anno 649/105 poeta Roma cessit et Neapolim se contulit, ubi uitae et otii quod esset reliquum, transigeret quietus. Neque fugiet lectorem quare in illam potissimum transierit regionem. Passim in saturis conqueritur de ualetudine (uide ad lib. V u. 181 seqq.): anno fere 638/116 sese morti proximum fuisse scribit ad amicum lib. V u. 182, ubi uide quae adnotauimus. Scribit Cicero (ad Att. XIV 17 A. epist. IX 14) ad Dolabellam e Pompeiano l. s. 1 'Sunt enim permulti optimi uiri, qui ualetudinis causa in haec loca ueniant' et 3 'L. quidem Caesar, cum ad eum aegrotum Neapolim uenissem, quamquam erat oppressus totius corporis doloribus' . . . e. q. s. Eodem eadem de causa secessit Silius Italicus poeta de quo Plinius epist. III 7 'Modo nuntiatus est Silius Italicus in Neapolitano suo inedia finisse uitam: causa mortis ualetudo . . . (6) nouissime ita suadentibus annis ab urbe secessit seque in Campania tenuit' (conf Strab. V p. 246). Graecae urbis magistratus poetam Latinum magno

in honore habebant, mortuum publico funere iusserunt efferri sicuti Tarentini Eucratidam philosophum Epicureum (Dittenbergeri syllog. inscript. Graec. ed. II 883). Sepultus igitur erat Lucilius quem Quintiliano teste multi principem poetarum Latinorum fuisse iudicarunt (testimon. 48) in eadem regione et terra, qua P. Vergilius.

De singulorum librorum temporibus

Lucilius igitur natus fere anno 574/180, mortuus anno 652/102 reliquit poematum libros XXX, quos in tria corpora dispertitos fuisse contra editores nouissimos, Lachmannum et in hac quidem re eius sectatorem Muellerum, qui duo uolumina antiquitus fuisse sumant exposui stud. Lucil. p. 86. Atque recte quidem Lachmannus statuit (Kl. Schr. II p. 62) Nonium duobus corporibus esse usum: quorum alterum libros XXV inde a primo complectens adhibet cum dicit *Lucilius satyrarum libro*, altero libros XXVI—XXX continente utitur, cum simpliciter scribit *Lucilius libro* (Muelleri edit. p. XVIII). Tamen sicut corpus illud posterius Lucilii non ex V libris continentibus constat, sed librum XXX *μονόβυβλον* esse multi dixerunt (conf ad lib. XXX praefatio, Schoenbeckius apud Corpetum edit. p. 197: Muelleri edit. p. IX), ita Nonii corpus prius libros I—XXV continens deinceps diuidendum est in duo corpora quorum alterum libros I—XXI, alterum XXII—XXV complectitur. Illud corpus librorum XXI inprimis lectitabatur ueluti Gellius hoc corpore solo uti uidetur cum laudet libros I—XX solos et Varro ipse sine dubio idem hoc dicit de l. L. V 17 'A qua bipertita diuisione Lucilius suorum *unius et uiginti* librorum initium fecit hoc' (lib. I u. 1). Vbi quominus *quinque et uiginti* cum Lachmanno corrigatur impedit uel id, quod cum libri XXI omnes conscripti sint heroico metro, libro XXII manifesto erant uersus elegiaco metro compositi: itaque uel metro liber XXII et sequentes a prioribus secernuntur. Praeterea secernitur lacuna. Neque enim quisquam arbitrabitur casu esse factum, quod libri illius XXI nullum hodie extat fragmentum, sed ideo, quod in fine corporis illius positus erat librorum XXI, aut neglegebatur ille a grammaticis ut ultimus omnium prae antecedentibus, aut omnino perierat, ita ut exemplar illud, cuius apographis usi sunt grammatici

saeculo p. Chr. II ineunte, non iam exhibuerit librum XXI. Quod multo sane probabilius. Erat igitur liber ille similis archetypi codicum Palatinorum Plauti, qui fabularum XXI ultimam perdiderat Vidulariam quam fabulam ut ultimo loco positam neglegunt Varro in libro de l. Lat. et Verrius Flaccus apud Festum. Denique librum XXII noui corporis initium fuisse ipsae reliquiae demonstrant quae satis copiosae ex hoc libro seruatae sint cum ex XXIII unus uersus, ex XXIV nihil sit seruatum, de duobus uerbis e libro XXV adlatis est quod dubites (uide ad lib. XXII u. 579seqq. XXV u. 586). Itaque magna lacuna separati libri I—XXI a XXII—XXV, maiore lacuna hi distincti sunt a libris XXVI—XXX.

De tempore librorum XXVI —XXX

Neque tamen tria ista corpora, quae e saturarum reliquiis ipsis facile possunt opera lacunarum et metrorum discrepantia discerni, secundum temporum rationem disposita sunt, sed ut Lachmannus recte statuit libri inde a XXVI priores tempore sunt antecedentibus. Argumentum quidem illud, quod Muellerus edit. p. IX affert mihi dubium uidetur et parum certum: uide quae adnotata sunt ad lib. VII u. 276 XXIX u. 895. Sed certa huius sententiae extant argumenta haec:

Liber I ut intellegitur u. 31 post Carneadis mortem h. e. post annum 625/129 uel 626/128 compositus est. Atqui Horatius serm. II 1, 63 seqq.

> Quid? Cum est Lucilius ausus
> primus in hunc operis componere carmina morem . . .
> . . . num Laelius et qui
> duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen
> ingenio offensi aut laeso doluere Metello
> famosisque Lupo coperto uersibus?

Aemilianus autem obiit eodem anno quo Carneades Tuditano et Aquillio coss. (Cic. de nat. deor. II 14) nec multo post Laelius (conf interpp. ad Cic. Lael. 104): ergo qui Lucilii poemata potuere probare hi uiri, si iam ante primum editum decessere? Quominus Horatium dicas errare, prohiberis non tantum ipsius insigni doctrina, sed etiam his Cic. de fin. I 7 (lib. XXVI u. 594): 'Nec uero ut noster Lucilius recusabo, quominus omnes mea legant. Vtinam esset ille Persius!

Scipio uero et Rutilius multo magis, quorum ille iudicium reformidans Tarentinis ait se et Consentinis et Siculis scribere'. Itaque statuendum est primum, neque Scipionem neque Laelium uidisse saturarum libros XXI priores ordine, sed fuisse aliud corpus saturarum quod illi legerint et probarint, deinde hoc corpus non posse non esse libros XXVI—XXX. Nam ut expositum est ad uu. 587—596, libro XXVI de nouae suae poeseos ratione Lucilius agit quasi ad scribendas saturas primum aggrediens. Liber igitur XXVI omnium primus compositus est. Quando uero Lucilius coeperit saturas scribere, apparet lib. XXVI uu. 620. 621:

hunc laborem sumas, laudem qui tibi ac fructum ferat:
percrepa pugnam Popili, facta Corneli cane.

Tanguntur aperte res ante Numantiam gestae. Cornelius Scipio Numantiam euertit anno 621/133: reuertit igitur Lucilius cum imperatore eodem anno, anno 622/132 currum triumphantis secutus est cum exercitu uictore. Non errabimus, si anno 623/131 librum XXVI editum esse ponemus, quia certa uestigia in illo libro extant, quibus ad res anno 623/131 gestas deducimur: uiuum praeterea Scipionem ab amico libris XXVI—XXIX leniter castigatum ob sermonis Latini nimiam elegantiam uersibus septenariis apparet incert. u. 963 seq. quibus illum *pertisum* maluisse dicere quam *pertaesum* per iocum significauit Lucilius. Tum librum XXVII ad P. Scipionem esse scriptum ostendimus in commentario ad u. 688.

Recte si disputauimus, necesse est insit libris XXVI—XXIX — tricensimum enim secernere malo — et Lupus laesus et Metellus secundum uerba Horatii. Ac Lupus quidem ut malus iudex carpitur libro XXVIII u. 784 seqq.: de Metello scholiasta anonymus (testim. 30. 35) ad Hor. serm. II 1, 67 et 72, cui satis scientiae fuisse de Lucilii saturis postea apparebit, loco priore adnotat: 'Metello: Macedonici filius', loco posteriore Q. Caecilium Metellum Macedonicum, Scipionis inimicum a Lucilio laesum esse dicit. Metellum Caprarium Macedonici filium a poeta irrisum esse probauit Schmidtius de libro IX Lucilii p. 8 (conf quae adnotauimus ad incert. u. 1130 lib. V u. 210 seq.) neque ego negauerim: puto tamen

Caprarium laesum esse potius in libris ordine prioribus, quia fragmenta quae ad illum referuntur a doctis, in libris illis inueniuntur. At in eis libris, quos Scipio uidit, Macedonicum ipsum a Lucilio esse castigatum ad u. 72 idem scholiasta certe hoc loco doctissimus — nam illam de Lucilio Scipionem mappa feriturο narratiunculam (testim. 28) fingere non potuit (conf Cic. de or. II 22) — tradit his uerbis: 'Caecilius Metellus consularis. Hic ⟨*III*⟩ filios consulares uidit et ab ipsis elatus est ... Potens fuit temporibus Scipionis Africani ... Lucilius eum in gratiam Scipionis carpsit'. Ante *filios* inserui *III*, conf Cic. de fin. V 82 'Q. Metellus qui tres filios consules uidit ... quartum autem praetorem' e. q. s. Val. Max. VII 1, 1 '(Fortuna) fecit ut (Q. Caecilius Metellus Macedonicus) eodem tempore tres filios consulares ... et quartum praetorium uideret' (Plut. de fort. Rom. 4 p. 318 C Plin. VII 142 Vell. I 11 Cic. Philipp. VIII 14 Brut. 81. 212). Scipionis aduersarium eum fuisse tradunt Cic. de rep. I 31 de am. 77 de off. I 87 Val. Max. IV 1, 12 [Plut.] apopth. Metelli 3. Nec Lucilius qua fuit ingenii natura Metellum Macedonicum non laedere potuit. Librum XXVI anno 623/131 editum esse posui: quod si obseruamus multo maius pondus inest profecto omnibus libri illius uersibus, quibus de uxorum molestiis agit poeta, praecipue illis (678. 679)

homines ipsi hanc sibi molestiam ultro atque aerumnam offerunt,

ducunt uxores, producunt, quibus haec faciant, liberos. Animaduertas enim, Macedonicum illum censorem anno ipso 623/131 censuisse, 'ut cogerentur omnes ducere uxores liberorum creandorum causa' ut Liu. per. 59 tradit: dein pergit 'Exstat oratio eius quam Augustus Caesar, cum de maritandis ordinibus ageret, uelut in haec tempora scriptam in senatu recitauit'. Suet. Aug. 89 'Libros totos et senatui recitauit et populo notos per edictum saepe fecit, ut orationes Q. Metelli de prole augenda'. Gell. I 6 'Multis et eruditis uiris audientibus legebatur oratio Metelli *Numidici*, grauis ac diserti uiri, quam in censura (anno 652/102) dixit ad populum de ducendis uxoribus, cum eum ad matrimonia capessenda hortaretur': ubi Gellium errasse et *Macedonici* scribendum esse quamquam

uerisimile est, tamen necessarium non est. Nulla fortasse res magis Lucilium impulit ut saturas scriberet quam illa Macedonici oratio, eius censoris qui Lupum principem senatus legit eodem anno quo Lucilius librum primum (i. e. XXVI) composuit 623/131 (uide infra p. XXXVI). Etenim in omnibus Lucilianae poeseos partibus elucet quantopere Lucilius uxores oderit, amicas amet uelut librum XVI post annum 638/116 aliquanto editum de Collyra amica sua scripsit annos natus fere LXX. Similem *εὐθυῤῥημοσύνην* prae se fert in eis quae de Hymnide et Cretaea (uide incert. u. 925) narrat libris ut uidetur XXVI—XXX. Contra acerbissima satura uxorum mores perfidos et improbos castigauit libro XXVI, imprimis libro XXX, quem ex 'libro aureolo Theophrasti de nuptiis' (Senec. frg. 47 H.) exscriptum credideris, tanto uxorum odio flagrat. Adde quod tale poeseos argumentum minime poterat ingratum esse aut odiosum Scipioni amico qui infaustis ominibus matrimonio iunctus erat cum Sempronia uxore *ἡ τῷ Σκιπίωνι γαμουμένη διὰ δυσμορφίαν καὶ ἀπαιδίαν οὔτ' ἐστέργετο οὔτ' ἔστεργεν* ita ut necatum maritum fuisse probante uel adiuuante Sempronia a posteris credi potuerit (Appian. b. c. I 20 Liu. per. 59 extr.). Inquinata nimirum est tota poesis Lucilii puerorum amoribus unde Afranii saeculum agnoscas et scortorum: uxores contra et matrimonium ubique carpit maligne ueluti lib. XV u. 504 seq.

cum tecum est, quidquid satis est: uisuri alieni
sint homines, spiram, pallas, redimicula promit.

Romani uero illo tempore quantopere liberis quaerendis operam dederint, nulla re magis fit apertum quam Cn. Cornelii Scipionis titulo cui pro merito inscripta sunt insigni uerba illa 'progeniem genui' (CIL I 38 Buecheleri Carm. Lat. epigraph. II 958) tempore fere belli Numantini. Recte igitur scholiasta anonymus ad Hor. l. s. s. carpsisse poetam Macedonicum 'in gratiam Scipionis', i. e. Scipione uiuo: Scipione enim mortuo hominem potentissimum a Lucilio castigatum fuisse publice uel ideo probabile non est, quod de mortui Scipionis meritis et egregie factis admodum humane et pulchre publice locutum fuisse Metellum Macedonicum tradunt antiqui: Valer. Max. IV 1, 12 'Acerrime cum Scipione

Africano ⟨*Metellus*⟩ Macedonicus dissenserat eorumque ab aemulatione uirtutis profecta concitatio ad graues testatasque inimicitias progressa fuerat. Sed tamen cum interemptum Scipionem conclamari audisset, in publicum se proripuit maestoque uultu et uoce confusa "Concurrite, concurrite", inquit, "ciues! moenia nostrae urbis euersa sunt: Scipioni enim Africano ... nefaria uis allata est" ... Idem filios suos monuit ut funebri eius lecto umeros subicerent atque ... adiecit, non fore ut postea id officium ab illis maiori uiro praestari posset' (Plin. nat. hist. VII 144 [Plut.] apopthegm. Metelli 3). Sed non solum Metellus ille, sed censores ambo anni 623/131 Aemiliano inimici fuere et Metellus Macedonicus et Q. Pompeius Rufus (apopth. Scip. min. 8): itaque etiam Lupus ab his princeps senatus lectus (uide infra p. XXXVI) a Scipionis parte non erat. Totus enim senatus in duas partes discissus erat: conf Cic. de rep. I 31 'Quid enim ... nepos ... non quaerit, cur in una republica duo senatus et duo paene iam populi sint? Nam, ut uidetis, mors Ti. Gracchi et iam ante tota illius ratio tribunatus diuisit populum unum in duas partis, obtrectatores autem et inuidi Scipionis, initiis factis a P. Crasso et App. Claudio tenent nihilo minus illis mortuis senatus alteram partem dissidentem a uobis auctore Metello et P. Mucio' e. q. s.

Fragmenta librorum XXVI—XXX quantum ego quidem uideo nusquam sunt indicio, scriptos eos libros fuisse post Scipionis mortem. Sed si libros XXVI primum omnium et huius quidem corporis nouissimum XXX perlegeris, in uxorum moribus castigandis summam esse similitudinem, quae inter utrumque intercedat facile inuenies, ita ut libro XXX suspiceris poetam illic contra obtrectatores Metellique amicos sese purgasse de eis quae inde a libro XXVI contra matrimonium protulerit legitimum. Concedes denique, ut erat Lucilii animus, in hoc genere nihil fuisse tum aptius quod satura laceraret quam Macedonici illam de ciuibus uxores ducere cogendis orationem eamque cum id genus tractaret tetigisse Lucilium utique. Itaque libri XXVI—XXIX et fortasse una XXX Scipione Laelioque uiuis scripti sunt annis 623/131 624/130 625/129 cum L. Cornelius Lupus princeps senatus Q. Metellus

Macedonicus censor esset. Post Scipionis mortem anno 625/129 longius interuallum scribendi poeta fecit: neque enim libros XXIX et XXX cum in hoc de ducendis uxoribus agatur longius remouerim ab anno 623/131 uel 624/130 neque tres tantum libros a Scipione cognitos statuerim. Denique uel ordinem librorum Lucilii conicias Horatium illo loco spectasse sicuti Persium (testim. 29. 32), cum priore loco nominet Metellum, posteriore Lupum, quem libro XXVIII a poeta lacessitum fuisse testantur eius libri reliquiae.

Scipionis mors

Anno 625/129 Scipio Aemilianus mortuus est, socii optimo patrono casu funesto sunt orbati. Saturae locus non erat ea aetate quae illum annum subsecuta est. Populus mortuo iratus eiusque amicis: *καὶ οὐδὲ δημοσίας ταφῆς ἠξιοῦτο, μέγιστα δὴ τὴν ἡγεμονίαν ὠφελήσας· οὕτως ἡ παραυτίκα ὀργὴ τῆς ποτὲ χάριτος ἐπικρατεῖ* (Appian. bell. ciu. I 20 extr.). Quae annis inde a 625/129 usque ad 628/126 a poeta gesta fuerint, de ea re nihil potuit indagari.

De libris I—XXI

Itaque cum de libris XXVI—XXX actum sit, restat ut agatur de libris I—XXI, quos Scipio non uiderat. In quibus libris sermonis et metricae rationis diuersitatem quandam licet animaduertere. Veluti cum lib. XXVIIII u. 864 *contrā* trochaei loco more ueterum poetarum inueniatur adhibitum, incert. u. 1335, quos uersus iure libris I—XXI attribuas, more posterioris poeticae ponitur pro spondeo. In quibus tractandis ea sententia tamquam fundamento nitar disputationis, quam ueram esse saturarum libri Horatii duo arguunt et Iuuenalis libri V: singulos uniuscuiusque censeo corporis libros sese excepisse temporis ordine seruato, ideo quod haec sententia libris I—XXI, ubicumque de tempore aliquid potest erui, aperte confirmatur.

De tempore libri I

Atque primum de tempore libri I erit agendum. Cuius de argumento Seruius ad Aen. X 104 haec tradit 'Totus hic locus de primo Lucilii translatus est (u. 3), ubi inducuntur dii habere concilium et agere primo de interitu Lupi cuiusdam . . . postea sententias dicere. Sed hoc, quia indignum erat heroo carmine mutauit et induxit primo loquentem Iouem de interruptis foederibus, cuius orationem interrupit Venus, post secuta Iunonis verba sunt, quibus redarguit Venerem. Vnde nunc Iuppiter illud quod omiserat reddit dicens: ergo quo-

niam pacem esse non sinitis, ea quae sum dicturus, accipite'. Proximum est quaerere quisnam fuerit Lupus ille, de cuius interitu deliberant, dein quonam tempore concilium deorum habitum finxerit poeta. Fuisse eum P. Rutilium Lupum iudicant Porphyrio ad Hor. serm. II 1, 68 Dousa van Heusdeus. Quos errasse manifestum est. Oportet enim intellegamus hominem potentem aliquem a Lucilio impugnatum: at P. Rutilius Lupus cos. 664/90, qui solus si Porphyrio non errauerit in censum uenit, eo tempore quo Lucilius de morte Lupi scripsit, nondum adultus erat. Itaque recte Popma ni fallor primus intellexit decipi a Porphyrione uiros doctos et proposuit carptum a Lucilio L. Cornelium Lentulum cos. 598/156 cens. 607/147, de quo nonnulla tradita sunt ad titulum Ter. Heaut. Polyb. XXXI 23, 9 CIL I 201 Cic. Tusc. III 51 Brut. 79 Val. Max. VI 9, 10 Fest. p. 285 M. nihil pertinentia ad Lucilium. Sed quae adscripta sunt ad Hor. serm. II 1, 67 in codice Parisino 7975 γ Hauthalii, cuius praestantiam multis exemplis licet cognoscere, ea summi pretii esse neque omnino a scholiasta potuisse fingi patet: dicit enim haec: '*Offensi: Laesi. Num inimici ipsius facti sunt aut propter Lupum, aut propter Metellum. Lupus princeps fuit senatus*'. Scholiastam qui omnino Porphyrione doctior sit ubi de Lucilio agitur, hoc finxisse utique negandum est: neque enim est unde potuerit fingere. Legebatur princeps senatus quinto quoque anno a censore plebeio collega patricius, quod patricii tantum illo munere functi uidentur esse (Mommseni Roem. Forsch. I p. 94). Atque anno 623/131 'Q. Pompeius Q. Metellus tunc primum uterque ex plebe facti censores lustrum condiderunt'. (Liu. per. 59). Qui ideo L. Lentulum Lupum patricium legerunt principem senatus, cum App. Claudius censor patricius anno 618/136 et inde princeps senatus (Plut. Ti. Gracch. 4 Appian. b. c. I 18) circa annum 621/133 decessisset, sine dubio morem antiquum secuti, ex quo censores, qui primus patriciorum censor ex eis, qui uiuerent, fuisset, hunc principem senatus legebant. (Liu. XXVII 11, 10). Princeps senatus qui lectus erat, nisi senatu mouebatur fungi solebat hoc munere usque ad mortem per omnia quae sequebantur lustra: quod apertum fit e Liu. XXXIX 52: 'Scipionem et Polybius et Rutilius hoc

anno mortuum scribunt. Ego neque his neque Valerio adsentior, his, quod censoribus M. Porcio L. Valerio L. Valerium principem senatus ipsum lectum inuenio, cum superioribus duobus lustris Africanus fuisset, quo uiuo, nisi ut ille senatu moueretur, quam notam nemo memoriae prodidit, alius princeps in locum eius lectus non esset'. Lupus senatu motus Lucilii tempore non est: nam anno 624/130 siue 625/129 quo fere tempore libri XXVIII uu. 784seqq. scripti sunt, luditur a poeta ut iudex rigidus: quo munere ille non esset functus, si senatu esset motus. Tum ex Ciceronis scriptis nouimus *P.* Cornelium Lentulum cos. 592/162 fuisse principem senatus anno 633/121 quo ipse annos natus circiter octoginta quattuor et complures alii summi uiri armati C. Gracchum in Auentinum persecuti sunt. Quo in proelio graue uulnus accepit (Cic. Phil. VIII 14). Quaeritur utrum hic P. Lentulus in senatus principatu illi L. Lentulo successerit lectus a censoribus anni 629/125 Cn. Seruilio Caepione L. Cassio Longino, an hi censores alium quendam legerint hominem ignotum, P. Lentulus demum lectus sit a censoribus lustri insequentis. Atque illi censores anno 629/125 (Frontin. de aqu. 8) munere functi sunt censorio, anno 630/124 C. Gracchus e Sardinia redux orationem habuit apud eos clarissimam (Meyeri or. R. fragm. edit. II p. 230): itaque exeunte hoc anno lustrum est conditum. De proximi lustri anno non constat neque de censorum nominibus, in quibus Q. Caecilium Metellum Balearicum fuisse certum est, eum qui procos. triumphauit anno 633/121 teste tabula Capitolina, L. Calpurnium Pisonem alterum censorem fuisse admodum probabile. Quos censores munus iniisse anno insequenti 634/120, lustrum condidisse anno 635/119 omnes fere edocent historici, ita ut V annorum spatium inter hanc censuram intercedat et inter censores antecedentes anni 629/125, item inter insequentes anni 639/115, de quibus constat (de Boorii fasti censor. p. 87. 88). Ergo anno 633/121, quo occisus est C. Gracchus duce P. Cornelio Lentulo principe senatus mense fere Quinctili (conf Kornemannus Beitr. z. a. Gesch. I Beiheft Lips. 1903 p. 51, 5), P. Lentulus iam erat princeps senatus, constitutus a censoribus anno 629/125 ineunte. Itaque hoc anno 629/125 ineunte Lupus ille mortuus erat.

Neque tamen silentio opprimere aequum est eam sententiam, quam Mommsenus protulit de iure publ. p. R. III 2 (1888) p. 970, 2 qui neget principem senatus potuisse eum fieri, qui censor non fuerit. Quare Q. Fabium Seruilianum Eburnum, quem censorem fuisse tradit Val. Max. VI 1, 5, remouit e fastis anni 646/108, locum Valerii non de uera censura intellegi debere cum statuat, L. Calpurnium Pisonem, qui censor anni 634/120 ferebatur, in illum annum contulit et hoc lustro P. illum Lentulum censorem fuisse contendit, qui statim anno 633/121 se ipse principem senatus constituerit. Tamen neque Fabii nomen censoris ex illa aetate tolli poterit neque hunc P. Lentulum censuram gessisse demonstrari: neque secutus est Mommsenum Huelsenus CIL I 1 ed. II p. 26. 36, qui contempto Valerii loco anno 646/108 Fabium Allobrogicum ponit censuram gessisse fretus loco Asconii falsi p. 133 Or., ubi hoc traditum est Fabio Allobrogico censore fornicem illum Fabianum esse extructum. Ego tamen hunc scholiastam potius errasse quam Valerium Maximum l. s. s. arbitror neque de fastis illius aetatis censoriis probabiliora esse adhuc prolata, quam quae de Boorius posuit fast. censor. p. 22. 23. Solebant autem censores lustrum condere non minus duodecim mensibus postquam censores creati erant (Mommsenus de iure publico p. R. II 1 ed. III p. 353): cum creati erant, omnium primum aggrediebantur ad senatum legendum (Mommsenus l. s. p. 420: interpretes ad Liu. XXIX 37, 6). Eodem die, quo creati erant in comitiis centuriatis, magistratum inibant quod fieri solitum esse mense Aprili ita ut mense Maio insequentis anni lustrum conderetur exposuit Mommsenus l. s. p. 352. 354. Sed idem exposuit l. s. p. 345 lustrum plerumque esse V annorum, lustra IV annorum enumerat (adnot. 3) tantummodo tria, saeculi a. Chr. IV et III omnia. Itaque probabile omnino non est inter censores qui munus inierunt anno 629/125 et censores insequentes, quos 633/121 munus inisse Mommsenus censet, tantummodo IV annorum intercessisse spatium, quod numquam accidisse apparet illa aetate. Praeterea historici qui res anno C. Gracchi fatali gestas accurate enarrant, de censura illo anno incohata tacent ad unum omnes: quod silentium melius intellegitur, si ea censura post obitum tribuni

gesta est, quo de tempore exilis et lacunosa magis ad nos peruenit rerum gestarum memoria. Denique inter triumphum Metelli Balearici anno 633/121 actum et eiusdem hominis censuram incohatam satis probabile est intercessisse spatium aliquod, ita ut insequenti demum anno censorem eum factum esse probabile uideatur. Neque denique aliam sententiam commendat locus Ciceronis diuin. in Caec. 69 'Cuius consuetudinis atque instituti patres maioresque nostros non paenitebat tum, cum P. Lentulus, is qui princeps senatus fuit, accusabat M.' Aquilium subscriptore C. Rutilio Rufo, aut cum P. Africanus, homo uirtute, fortuna, gloria, rebus gestis amplissimus, posteaquam bis consul et censor fuerat, L. Cottam in iudicium uocabat'. Quem locum Cicero ita uoluit intellegi, ut eo anno, quo causa Aquilii acta est, i. e. anno 630/124 (Appian. b. c. I 22) P. Lentulum iam illo munere functum esse auditores crederent, sicuti de P. Africano eodem loco dicit eum accusasse post censuram.

Neque denique est, quod dubitemus, quin anno 629/125 P. ille Lentulus princeps senatus electus fuerit. Neque enim patricius tum erat omnino, qui censuram gesserit, mortuo Scipione Aemiliano L. Lentulo Lupo App. Claudio: nec censorum qui tum erant Cn. Seruilius Caepio L. Cassius Longinus alter plebeius potuit alterum patricium principem senatus rite constituere, ideo, quod alter Cn. Seruilius, licet fuerit patricius, non ueterum erat gentium et maiorum, sed Albanae originis (Liu. I 30, 2 Dionys. III 29, 7): at ne harum quidem gentium qui fuerunt dignos esse iudicatos illo honore exposuit Mommsenus de iure publ. p. R. III 2 (1888) p. 868, 4. Itaque elegerunt eum patricium, qui primus eorum, qui superstites erant, consulatum gesserunt P. Cornelium Lentulum cos. anni 592/162, cui neque plebeius uir censorius Metellus Macedonicus potuerit inuidere, cum consul fuerit anno 611/143, nec ipse censor illius anni Cn. Seruilius, cum consul fuerit anno demum 613/141. Itaque mense Aprili 629/125 P. Cornelius Lentulus princeps senatus lectus est: quo tempore L. Cornelius Lentulus Lupus obierat. Nam Lucilium deos induxisse contionantes de interitu Lupi ita ut reuera paucos dies ante conscriptam saturam Lupum decessisse statuendum sit et per se

ipsum est consentaneum et imitatione Senecae comprobatur. Atque cum dixerit Neptunus in deorum concilio haec uerba (lib. I u. 31)

non Carneaden si ipsum Orcus remittat

manifestum est librum I scriptum esse aliquantum post Carneadis philosophi mortem quem decessisse rettulit Apollodorus in chronicis (95 Jacobyi) ap. Diog. Laert. IV 65 olymp. 162, 4 i. e. anno 625/129 uel 626/128. Praeterea quod traditur ap. Diog. Laert. IV 64 *τελευτῶντος δ' αὐτοῦ φασιν ἔκλειψιν γενέσθαι σελήνης συμπάθειαν ὡς ἂν εἴποι τις αἰνιττομένου τοῦ μεθ' ἥλιον καλλίστου τῶν ἄστρων*, ea ita comparata sunt, ut, cum de lunae defectu agatur, non de solis caligine oborta, fidem eis aegre denegaueris. Anno illo reuera bis lunae defectus accidit, alter die Nouembris V anni 625/129 nocte concubia hora post mediam noctem secunda spatii satis exigui, alter die Maii II anni 626/128 triplo amplior priore illo mane hora fere quinta post mediam noctem, quo tempore Carneaden obiisse statuas probabili ratiocinatione: nam hic defectus ut longe amplior solus poterit in censum uenire (conf Ginzelius Sitzungsber. d. Berl. Akad. 1887 p. 1119 Spezieller Canon der Sonnen- und Mondfinstern. Berol. 1897 p. 143). Obiit igitur Lupus Lucilianus post mensem Maium anni 626/128 ante mensem Aprilem anni 629/125. At memoratur libro I u. 38 dira tempestas qua Iuppiter populum Romanum eo tempore, quo Lupus periit, magnopere terruerit (uide quae adnotauimus ad u. 37 seqq.): quam tempestatem eandem fuisse quam in prodigiorum libro commemorat ad annum 628/126 Iulius Obsequens 29 (89) ueri est simillimum. Itaque anno 628/126 Lupus obiit, paucos dies post eius obitum librum I composuit Lucilius: librum modo ediderat, cum M. Iunius Pennus tribunus plebis eodem anno legem tulit, qua peregrinos ex urbe exterminaret qua de re infra agetur p. XLVI. Itaque Scipione mortuo poesin saturarum instaurare ausus esse non uidetur ante Lupi, quem libro XXVIII uiolauerat, mortem: cui tantopere fuit iratus, ut ne mortuo quidem parceret. Excusatur quodammodo Senecae saturae uilis et abiecta mordacitas exemplo Lucilii: nempe ne auctor quidem saturae ueritus erat illud *οὐχ ὁσίη φθιμένοισιν*.

De argumento et tempore libri II

Iam de argumento libri II agendum erit summatim cuius de argumento quam proferam sententiam singillatim studui confirmare in adnotationibus ad uersus qui eius libri superstites sunt singulos. Atque proficiscendum erit in hac quaestione a tribus his quorum de sede non constat fragmentis

I

Quam lepide lexis compostae, ut tesserulae omnes
arte pauimento atque emblemate uermiculato!

II

Crassum habeo generum, ne rhetoricoterus tu seis!

III

'Graecum te, Albuci, quam Romanum atque Sabinum,
municipem Ponti, Tritani, centurionum,
praeclarorum hominum ac primorum, signiferumque
maluisti dici. Graece ergo praetor Athenis,
id quod maluisti, te, cum ad me accedis, saluto:
chaere, inquam, Tite. Lictores, turma omnis chorusque:
chaere, Tite'. Hinc hostis mi Albucius, hinc inimicus.

Haec tria fragmenta patet ex uno eodemque libro esse desumpta: dicuntur enim a Q. Mucio Scaeuola Augure omnia in eundem T. Albucium et de eadem re. Ex fragmentis primo et secundo apparet praesente Albucio, qui modo orationem habuerit, Scaeuolam uerba facere, nec solo Albucio praesente, sed pluribus, quibus in fragmento tertio demonstret unde Albucius sibi inimicus factus sit. Haec tria fragmenta non possunt non referri ad narratum a Lucilio iudicium repetundarum quod anno 634/120 uel 635/119 Albucio accusante de Scaeuola factum est; qui anno 633/121 uel 634/120 praetor Asiae prouinciae fuerat (Cic. de or. II 269, Wehrmanni fast. praet. p. 13), ex praetura anno 634/120 uel 635/119 repetundarum a T. Albucio postulatus est. Quae causa a Cicerone saepissime memoratur; sine dubio Lucilii satura eius fama tantopere propagata est. Vtri Lucilius fauerit in narratione actionis, difficile iudicatu est: nam Mucio *subiratus* dicitur a Cicerone de or. I 72 et Albucii tradit Cicero illum artes pueriles risisse, nisi Cicero rem narrat parum accurate et nimis studiose quod sane probabile est. Lucilius igitur iudicium illud tradidit memoriae in satura, qua Albucii oratio

referebatur, post sequebatur Scaeuolae oratio: ex hac tria illa fragmenta apud Ciceronem seruata sunt. Nam 'Mucius Augur, quod pro se opus erat, ipse dicebat, ut de pecuniis repetundis contra T. Albucium. Is oratorum in numero non fuit, iuris ciuilis intellegentia atque omni prudentiae genere praestitit' (Cic. Brut. 102: conf de or. I 214. 234). Itaque longiorem orationem Lucilium opinor tribuisse Albucio, Scaeuolam inducit breuiter exponentem ueram accusationis causam. Iudicii uestigia nusquam uidemus nisi in libro II; ibi esse certa neminem fugiet qui accurate fragmenta perleget. Quoniam uero plura iudicia descripta esse a Lucilio parum veri simile est optimeque fragmenta libri II ad iudicium illud possunt referri, libro II Albucii et Scaeuolae causam esse narratam collegi stud. Lucil. p. 68 seqq.

Atque fragmenta bene coeunt in causam illam repetundarum quamuis corrupta. Albucii sunt u.

I homo inpuratus et † *inpuno* est rapister 66

II inpuratum hunc in fauces inuasse animamque elisisse illi 57

III nunc * nomen iam, quae ex testibus ipse rogando exculpo, haec dicam 69

IV ut iure peritus 81

V Nam quid moetino subrectoque huic opus signo? 78
Vt lurcaretur lardum et carnaria fartim,
† parum conficeret . . . 80

VI non dico: uincat licet, et uagus exulet, erret exlex. 82

Audis uerba dura accusatoris acerbi et rabulae furentis, figuras oratorias, dictionem forensem. Pronomina *huic hunc* (II. V) aduersarium indicant qui *impuratus* bis uocatur (I. II) et auctor furtorum et rapinarum audit (I) et caedis (II). De testibus interrogandis agitur fragmento III de quo uide quae adnotauimus. Vbi quod memoratur *nomen* id uidetur esse aut pecuniae ablatae captae coactae conciliatae auersae a reo (leg. Aciliae repetundarum § 3 in Brunsii fontibus iur. Rom. edit. VI p. 59) qua de significatione uocis *nomen* conf interpp. ad Hor. ep. II 1, 105 Cic. de off. III 59 de nat. deor. III 73 aut illud nomen de quo Cic. pro Balbo 11: 'Audiui hoc de parente meo

puer: cum Q. Metellus L. f. *causam de pecuniis repetundis diceret* . . . cum ipsius tabulae circumferrentur inspiciendi *nominis* causa, fuisse iudicem ex illis equitibus Romanis, grauissimis uiris neminem, quin remoueret oculos et se totum auerteret, ne forte, quod ille in tabulas publicas rettulisset, dubitasse quisquam, uerumne an falsum esset, uideretur'. Albucius igitur his uerbis testes interrogat coram iudicibus quod et M. Cicero fecit in causa Verrina: conf act. I 55 de or. II 245 Quintil. V 7, 26 et de testibus tabulisque producendis in repetundarum causa legem Aciliam § 34. Tabulas denique productas esse in illa ipsa Albucii causa notum est Albii altercatione et Granii praeconis de qua Cic. de or. II 281 (lib. II u. 95) opusque erat in causa repetundarum testibus dumtaxat IIL productis ex lege Acilia (§ 32. 34), quam latam esse anno 631/123 uel 632/122 demonstrauit Mommsenus CIL I p. 55 duobus uel tribus annis ante Albucii causam.

De exilio rei aperte agitur fragmento VI quod exilium perpetiendum fuisse multis repetundarum damnatis notum est ex Verris Rutilii huius Albucii ipsius uita, qui postea eodem crimine, quo accusarat Mucium, damnatus (Cic. de off. II 50 Tusc. V 108 pro Scaur. 40) exul mortuus est Athenis.

Duo fragmenta IV et V restant explicanda, quorum prius *ut iure peritus* quam bene ad Mucium referatur apparet: alterum

Nam quid moetino subrectoque huic opus signo?

multo difficilius intellegitur. Atque primum quidem pro *subiecto* quod est in codicibus recte dedit Scaliger *subrecto:* conf Arnob. adu. gent. V 29 p. 200, 13R: 'hi phalli quos per rura, per oppida mos *subrigit* et ueneratur antiquus' conf 28 p. 199, 9R: uersus hunc sequentes corruptos nunc mitto. Recte uero si contendi libro II causam ab Albucio dictam esse narratam, accusator ludit hoc uersu in *moetinum signum* rei. Fascinum portabant infantes et pueri donec togam uirilem sumpserunt: hominum adultorum gestamen non fuit nisi triumphantium, ut ex Plin. nat. hist. XXVIII 39 patet: 'Quamquam religione eum tutatur et fascinus, imperatorum quoque, non solum infantium custos, qui deus inter sacra Romana Vestalibus colitur et currus triumphantium sub his pendens

defendit medicus inuidiae' e. q. s. (Macrob. Saturn. I 6, 9). Sed apparet haec ad hunc uersum non pertinere: alia quaerenda sunt. Notum est familias singulas populi Romani signis siue insignibus esse usas nonnunquam deductis a praeclare gestis rebus, praecipue uero cognominum quae sint effigies: conf Sueton. Calig. 35 'Vetera familiarum insignia nobilissimo cuique ademit, Torquato torquem, Cincinnato crinem, Cn. Pompeio stirpis antiquae Magni cognomen'. Multis certe in rebus antiqui adhibebant talia signa (conf Plut. Cic. 1): notissima nobis signa singularum familiarum sunt in nummis incusa, ubi Furii Crassipedes pedem crassum, Publicii Malleoli malleum, Antistii Graculi graculum, Seruilii Gemini Castorem et Pollucem, Furii Purpureones muricem, Lucretii Triones stellas septem, similia aliae familiae habent insignia: conf Mommsenus R. F. I p. 44 Marquardtii enchirid. antiq. p. R. VII p. 14, 7. Muciorum insigne quid fuerit antiquitus, nescimus: cognomen *Scaeuola* quod *Scaeuula* scribitur in fastis Capitolinis deducit Liuius II 13 a scaeua manu, hoc est sinistra, similiter Plut. Poplic. 17 et omnes faciunt, qui Liuium secuntur. Verum totam illam de Mucii manu combusta narrationem esse absurde fictam post Niebuhrium (hist. Rom. I p. 606) multi dixerunt. At Varro de l. L. VII 97 de *obscaenum* uoce docens: 'Potest uel ab eo quod puerulis turpicula res in collo quaedam suspenditur, ne quid obsit, bonae scaeuae causa *scaeuola* appellata. Ea dicta ab scaeua, id est sinistra, quod quae sinistra sunt, bona auspicia existimantur'. Haec quam apte ad hunc Lucilii locum referantur conciliata cum eis, quae de signis Romanorum supra exposui nemo non uidet. Porro caue credideris turpius esse illud signum quam ut adhiberi potuerit: quod in triumpho neminem offendebat hoc pro insigni usurpare hercle neminem pudebat. Fuisse autem membrum familiae insigne tabulae Heracleenses testantur CIG 5774, ubi sub finem u. 184 inscriptum est *Ϝε γνῖον Πεισίας Λεοντίσκω*, tum u. 187 *γραμματεὺς Ϝε γνῖον Ἀριστόδαμος Συμμάχω*. *Membrum* istis duobus uiris qui eiusdem tribus sunt ut ceteris alia insignia uelut *τρίπους κἀρύκειον πέλτα* praepositum nihil nisi fascinum significare potest: alia enim membra praecipue cum de insignibus agatur praeter ueretrum suo

nomine appellare nemo ueritus esset. De fascini religione egit O. Iahnius Ber. d. sächs. Ges. d. Wissensch. 1855 p. 71 seqq. qui p. 71 in adnot. hos uersus attulit. Signum igitur moetinum Scaeuola quo utebatur in inuidiam deducit Albucius cum dicit usum eo esse praetorem ideo, quo impunitius lardum et pernam deuoraret malos oculos fascinantium illo signo depellens. De reliquis huius libri fragmentis egimus in commentario. Horatius serm. libri I satura VII qua Regis Rupilii et Persii iudicium enarratur hunc Lucilii librum imitatus est. Denique librum I et librum II deinceps iusto ordine significat Persius I 114 'secuit Lucilius urbem, te Lupe, te Muci, et genuinum fregit in illis', qui libros Lucilii inde a I spectaret, cum Horatium libros XXVI—XXX spectasse supra uiderimus: eosdem libros spectat Iuuenalis quos Persius I 151 'cuius non audeo dicere nomen? quid refert dictis ignoscat Mucius an non?" qui Lupum, quem mortuum insectatus est Lucilius, hoc loco pro exemplo ponere non potuerit.

Iam colligenda erunt ea quae de argumento et de tempore libri I et II adhuc exposuimus.

Libro I agitur de interitu Lupi: Lupum mortuum esse certum est intra annos 626/128 exeuntem et 629/125 ineuntem; si recte supra disserui, anno 628/126, si meam de tempestate illa coniecturam reicis, anno 627/127: nempe hoc non multum differt. Satura tota friget ac torpet nisi si Romae est statim post mortem Lupi et scripta et edita, sicut Senecae ludus de morte diui Claudii statim post mortem Caesaris editus esse putandus est. Itaque apparet librum I Romae editum esse anno fere 628/126.

Libro II iudicium Albucii et Mucii celebratum esse supra probaui: quod reuera factum est anno 634/120 uel 635/119 cum Mucius anno antecedente praetor Asiae prouinciae fuerit. Itaque cum nihil magis cauendum esse uideatur iambico aut poetae comico quam ne nimis tardi ingenii longo interuallo interiecto res tractet, anno 635/119 fere librum alterum esse scriptum statuo. Neque fugiet attentos quare poeta Scipionis amicitia destitutus saturam non ausus sit instaurare nisi Lupo mortuo, tum iterum per quinque annos tacuerit, dum C. Graccho oppresso atroces illae tempestates rei publicae fuerint sedatae.

Saturae illo lustro locus non erat neque pax et otium, quo opus erat seni poetae ad carmina facienda. Nam anno ipso 628/126 M. Iunius Pennus tr. pl. legem tulit qua peregrinos ex urbe exterminaret. (Cic. de off. III 47 Brut. 109 Mommseni hist. Rom. II p. 102). C. Gracchus absens fuit illo anno quaestor Aurelii consulis in Sardinia, magna cum uoluptate aduersariorum (Plut. C. Gracch. 1), qui dolose eum etiam in annum sequentem ab urbe remouebant consuli in Sardinia manendum esse rogantes. C. Gracchum dissuasisse Penni legem oratione illa, quam de ea lege et de peregrinis ab illo habitam esse Festus p. 286 M. auctor est, antequam in prouinciam abierit, minime probabile uidetur. Nam aduersarii tantopere gauisi Gracchum urbe prohiberi (conf Plut. l. s.) potius callide exspectauerant dum ille proficisceretur. Quod ipsum in uerbis Ciceronis Brut. 109 agnoscitur 'M. Pennus *facile* agitauit in tribunatu, C. Gracchum paulum aetate antecedens. Fuit enim M. Lepido et L. Oreste consulibus quaestor Gracchus, tribunus Pennus' e. q. s. Quo loco quam recte Buechelerus (stud. Lucil. p. 94, 2) iusserit comma poni post *tribunatu*, ego multis annis post intellexi e Porcii Licini uersu Donati comm. Terent. p. 4, 11 Wessneri 'tres per id tempus qui agitabant nobiles facillime'. Facile agitauit Pennus illo anno ideo, quia Gracchus absens negotium ei non facessiuit. Anno uero 630/124 Gracchus biennium in prouincia moratus (Gell. XV 12) iratus quod fallaciis optimatium Roma prohiberetur in urbem rediit (Plut. C. Gracch. 2) multasque orationes habuit (Plut. l. s. et 3. Gell. l. s.) inter quas ponendam iudico esse illam de lege Penni et peregrinis: hanc enim legem abrogatam esse Gracchi auctoritate illo anno apparet uerbis Plut. l. s. 3: *Ὁ δὲ . . εὐθὺς ἐπὶ δημαρχίαν ὥρμησε . . . ὄχλου δὲ τοσούτου συῤῥέοντος εἰς τὴν πόλιν ἐκ τῆς Ἰταλίας καὶ συναρχαιρεσιάζοντος, ὡς πολλοῖς μὲν οἰκήσεις ἐπιλιπεῖν κτλ.* Anno autem 632/122 *ὄχλου . . πανταχόθεν αὐτῷ συνιόντος ἔπεισεν ἡ βουλὴ τὸν ὕπατον Φάννιον ἐκβαλεῖν τοὺς ἄλλους πλὴν Ῥωμαίων ἅπαντας κτλ.* (l. s. 12) Appian. b. c. I 23: *ἡ βουλὴ διαταραχθεῖσα τοὺς ὑπάτους ἐκέλευσε προγράψαι μηδένα τῶν οὐ φερόντων ψῆφον ἐπιδημεῖν τῇ πόλει μηδὲ προσπελάζειν ἀπὸ τεσσαράκοντα σταδίων παρὰ τὴν ἐσομένην περὶ τῶνδε τῶν νόμων χειρο-*

τονίαν. C. Graccho oppresso tranquillitate publica recuperata Mucium Stoicum per Albucium Epicureum ludi in satura sua induxit Lucilius: intererat igitur ipse Romae anno 634/120 uel 635/119 repetundarum iudicio audiitque Albucii accusationem et Mucii defensionem quae utraque oratio digna ei est uisa quam saturae uersibus uulgo redderet notam.

Constat porro de tempore libri V certis argumentis. Quo in libro quae leguntur u. 210 seq. *De tempore libri V*

ne designati rostrum praetoris pedesque
spectes

non possunt non consociari cum incert. u. 1130

Cecilius pretor ne rusticus fiat.

Vtroque loco hominem rusticum describit, utroque loco is qui loquitur aegre fert hunc hominem rusticum honorem praeturae adipisci: quod uno atque eodem tantummodo tempore potuisse accidere est consentaneum. Caecilius ille nemo alius potuit esse nisi C. Caecilius Metellus Caprarius cos. 641/113: cognomen Caprarii inditum indicat hominis rusticitatem quam risisse traditur Scipio ap. Cic. de or. II 267. Anno 639/115 mortuus est eius pater Metellus Macedonicus (Vell. I 11, 7) cuius lectum 'sustulerunt quattuor filii, unus consularis et censorius, alter consularis, tertius consul, quartus candidatus consularis', qui est iste Caprarius. Idem tradit Plin. nat. hist. VII 142 'a quattuor filiis inlatus rogo, uno praetorio, tribus consularibus, duobus triumphalibus, uno censorio' Val. Max. VII 1, 1 '... fecit ut eodem tempore tres filios consulares, unum etiam censorium et triumphalem, quartum praetorium uideret': minus accurate neque tamen falso Cic. de fin. V 82 in eadem narratione scripsit 'quartum autem praetorem'. Vnde apparet uersus illos libri V Lucilii scriptos esse ante annum 639/115, praetorem fuisse Caprarium anno 638/116 — longius enim non licet praeturae annum remouere ab anno Caprarii consulari — designatum eum dici praetorem anno 637/117 exeunte uel 638/116 ineunte et illo tempore Lucilii librum quintum esse conscriptum. Hunc Metellum Caprarium spectat scholiasta anonymus ad Horat. serm. II 1, 67 'aut laeso doluere Metello' cum adnotat 'Macedonici filius', in hac re tantummodo errans, quod libros XXVI—XXX ille non

curauit, sed qui fere soli postea legerentur I—XXI, in quibus Caprarium laesum fuisse constabat (uide supra p. XXXI). Libri igitur III et IV compositi sunt inter annos 635/119 et 637/117: iter Siculum quod narrat libro III anno fere 636/118 susceptum fuisse a Lucilio statuendum erit.

De tempore libri XI Etiam de tempore quo liber XI compositus fuerit, uiri docti dudum intellexere Lucilii ipsius extare testimonium u. 418 'Quintus Opimius ille, Iugurtini pater huius' quo genetiuo notatur L. ille Opimius cos. 633/121 quo auctore C. Gracchus fuerat interfectus. Qui damnatus rogatione Mamilia anni 644/110 exilii causa solum uertit et exul mortuus est Dyrrhachii (Cic. pro Sest. 140 Brut. 128 Plut. C. Gracch. 18). Neque tamen scriptus esse uidetur uersus ille iudicio illo acto ex lege Mamilia, quo damnatus Opimius Roma cessit, sed ita, ut pronomine *huius* indicet poeta hominem etiamtunc Romae degere aetatem. Nam *Iugurtinus* appellari apte iam potuit Opimius postquam legatus ad Iugurtham missus est qua in legatione *διεφθάρη χρήμασιν ὑπ' αὐτοῦ* (Plut. l. s. s.). Quam legationem enarrat Sallustius Iugurth. 16, de tempore iudicium ferre debemus ex Liuii periocha 62, qui de hac legatione referat inter L. Caecilium cos. anni 637/117 et L. Caecilium Cn. Domitium censores anni 639/115: unde alii huic anno (conf Nieseus in Paulyi Wissowae encyclop. s. u. Adherbal), alii ueluti Mommsenus de iure publico p. R. II 1 (1887) p. 692, 8 anno 637/117 hanc Opimii legationem attribuerunt. Itaque apparet de libri XI tempore nihil omnino effici posse nisi conscriptum eum esse intra annos 638/116, id est post librum V et ante annum 644/110 quo anno Opimius ille damnatus Roma cessit.

De tempore libri XVII De tempore quo liber XVII conscriptus fuerit a poeta nil nisi coniecturam possumus proponere. Qua in quaestione exordium est capiendum a uersibus illis incert. 1332 seqq., quibus quae *uirtus* sit magna uerborum copia et ambage exposuit *Albino* cuidam more usus non docentium sed castigantium: 'uirtus diuitiis pretium persoluere posse, uirtus id dare quod re ipsa debetur honori ... commoda praeterea patriai prima putare, deinde parentum, tertia iam postremaque nostra'. Quae uerba in commentario exposui dicta esse ad

A. Postumium Albinum illum fratrem et legatum Sp. Postumii cos. 644/110, quem anno 645/109 Iugurtha apud Calamam urbem thesauris regiis ibi conditis inhiantem bello oppressit (Oros. V 15, 6 Sallust. Iugurth. 37 seqq.), exercitum sub iugum misit: 'Sed ubi ea Romae comperta sunt, metus atque maeror ciuitatem inuasere. Pars dolere pro gloria imperi, pars insolita rerum bellicarum timere libertati, Aulo omnes infesti, ac maxume qui bello saepe praeclari fuerant, quod armatus dedecore potius quam manu salutem quaesiuerat' (Sallust. l. s. 39). Quare scripta haec esse a Lucilio statuendum erit anno fere 645/109 uel 646/108. Tribuit illud fragmentum libro XVII Corpetus edit. p. 222 magis diuinatione usus quam ratiocinatione. At expositum est ad XVII u. 550 seq. 'cetera contemnit et in usura omnia ponit non magna: proprium uero nil neminem habere' haec uerba sumpta esse ex uberiore de uirtutis natura expositione. Vnde sane probabiliter huic libro illud tribuas fragmentum. Quod si recte statuimus, scriptus est ille liber anno fere 646/108.

De tempore libri XX

Desiisse poetam saturas scribere anno 649/105 supra statuimus p. XXVI. Vnde efficitur ut libro XX et XXI qui perierat tempore Hadriani imperatoris ea fuerint narrata, quae omnium nouissima constat tractata fuisse a poeta. Atque tradit Cicero Brut. 160 de Crasso oratore 'Multae deinde causae: sed ita tacitus tribunatus, ut nisi in eo magistratu cenauisset apud praeconem Granium idque nobis bis narrauisset Lucilius, tribunum plebis nesciremus fuisse'. De anno huius tribunatus 647/107 constat testimonio Cic. Brut. 161. Atque si quaerimus quo in libro illa cena fuerit descripta, nihil est probabilius quam e libro XX seruata nobis esse fragmenta cenae Granii. Nam homo ille qui modo publice aliquid in lege Calpurnia repetundarum se reprehendisse iactat (u. 573), facile intellegitur orator L. Licinius Crassus tribunus plebis, qui anno insequente legem iudiciariam Q. Seruilii Caepionis suasit nobilitatis illo tempore fautor (Cic. Brut. l. s. s.): de reliquis uide commentarium ad libri XX uersus superstites. Suspiceris denique libro XXI eandem rem iterum a Lucilio esse narratam ideo quod Horatius serm. II 8 qua satura aperte (uide ad XX u. 568) Lucilium est imitatus, similis cenae de-

scriptione finem uoluit fieri poeseos suae Lucilianae. Probabilius enim uidetur esse duobus diuersis libris Granii cenam a poeta fuisse narratam quam eiusdem libri saturis duabus.

De tempore librorum XXII—XXV

Libri inde a XXII ad XXV distichis elegiacis erant compositi neque casui tribuendum erit quod omnia quaecumque horum librorum seruata sunt fragmenta ad seruorum spectant personas, quorum et de obitu rettulerat poeta et de uirtutibus et uitiis defunctorum. Nimirum poeta caelebs seruulos suos uidetur habuisse humanissime loco liberorum siue parentum ueluti Pacilium *patrem* appellat honorifice lib. XXII u. 581. Quo tempore haec elegidia composita fuerint, hoc ne diuinando quidem consequi poterimus neque id quidem demonstrari poterit poetam ipsum hos libros edidisse qui plane diuersi sint a saturae indole ac natura. Suspiceris poetam Neapoli hoc modo manibus familiarium suorum litasse et grammaticum quendam diligentur has poeseos Lucilianae reliquias singulares quas in scriniis poetae defuncti inuenerat collegisse disposuisse publici iuris fecisse, quo magis poetae humanitas nota fieret popularibus. Libros XXVI—XXX seorsum singulos poeta ediderat qui XXVI ad historicum et hominem adulescentem miserit (uide ad u. 612), cum doctissimorum uirorum iudicium ueluti Scipionis repudiaret (u. 594), XXVII ad Scipionem misit (u. 688): XXVIII, XXIX et XXX seorsum editos esse uel inde apparet, quod XXX u. 1013 'et sola ex multis nunc nostra poemata ferri' priores libros diuulgatos in manibus ferri legentium auctor aperte indicat. Itaque qui illos coniunxerant siue grammatici siue Lucilius ipse fuit qui eos postea ediderit coniunctos, quod hoc ordine coniunxerunt, eius ordinis quo secundum singulos annos erant editi rationem habuisse editorem credendum erit. Libros I—XXI eodem modo primum singulos fuisse editos consentaneum est: quos coniunctim Lucilium ipsum edidisse prohoemio praeposito Varro auctor est de l. Lat. V 17 'a qua bipertita diuisione Luc*i*lius (*lucretius* cod) suorum unius et uiginti librorum initium fecit hoc' (lib. I u. 1). Hanc editionem poetam anno fere 648/106 constituisse supra exposuimus p. XXVII.

De ueterum editionibus Lucilii

Q. Laelius Archelaus

Saturas poetae modo defuncti publice enarrabant gram-

matici duo Vettius Philocomus et Q. Laelius Archelaus qui familiares fuerant poetae: quod recte traditum est ap. Sueton. de gramm. 2 (testim. 40); constat praeterea de Vettii alicuius et Lucilii amicitia incert. u. 1322, ubi uide quae adnotauimus. Sanguine et affinitate cum poeta coniunctus fuerit cum gente Magni Pompei, mirum non est egregie eos grammaticos Lucilio operam dedisse qui Pompeianae domus aut clientes erant aut partes Pompei sequebantur, quales erant Valerius Cato, Pompeius Lenaeus, Curtius Nicias (testim. 40—42); summis laudibus effert Lucilii doctrinam elegantiam urbanitatem M. Cicero Pompeianus (testim. 58. 59. 12). Atque uel Latinis hominibus opus fuisse aut commentario aut enarratore ad uersus poetae recte intellegendos quiuis concedet qui libri V exordium (u. 181 seqq.) legerit difficillimum. Laelius Archelaus magister fuerat Pompei Lenaei qui Lucilii saturas apud illum legerat, saturam acerbissimam in Sallustium conscripserat (Sueton. de gramm. 15): recte si ap. scholiastam Iuuenalis ad I 20 (Auruncae flexit alumnus) cum Casaubono legitur 'uel Lenaeum dicit, qui et ipse satiras scripsit' ubi traditum est *lenium*, libertus ille Magni Pompei cuius de origine aliter tradit Suetonius l. s., ex eodem municipio prouenerat quo Lucilius. De Vettii Philocomi studiis Lucilianis agitur pluribus uersibus illis octo, qui a grammatico aetatis fere Suetonianae praepositi sunt Horatii saturae lib. I 10 (testim. 41). Qui grammaticus eiusdem generis erat nebulo atque ille qui Aeneidis libro I uersus illos IV praeposuit; quorum Nisus ille cum uetustissimus sit testis (Sueton. p. 64. 65 R.), dubito an ipse eos finxerit Martialem imitatus (IX praef. 5. 28, 2. X 53, 1), tamquam si effigiem poetae carminibus praepositam (Martial. XIV 186) exornare deberet. Videntur grammatici illius aetatis inprimis curiose quaesiisse de exordiis carminum nec minore cum stultitia finxisse noua quam damnasse tradita exordia. Veluti de Lucani libri I uersibus 1—7 admodum nugatorie disputabant ut a Seneca factis grammatici eiusdem aeui (schol. Luc. I 1 Fronto p. 157 N). Versus ipsos grammaticus ille satis festinanter et indiligenter composuit, eorum similes, quos Plinius minor epist. VII 4, 6 de Cicerone e uestigio profudit. Vsus est ille adfectata obscuritate, quam

Pompeius Lenaeus

Vettius Philocomus

Horatianam elegantiam esse putabat elocutionis, sed optimo auctore in eis quae de Valerio Catone protulit: probabile uidetur eum libros Catonis ipsius quos appellat Suetonius de gramm. 11 in quibus de pueritia sua egerat inspexisse. Vnde grammaticus ille didicerat anno fere 719/35, quo priorem
P. Valerius Cato saturarum librum edidit Horatius, P. Valerium Catonem inchoasse editionem Lucilii nouam, pugnasse eum contra magistrum suum, qui item Lucilio emendando operam dederat. Qui magister uix alius poterat esse atque Vettius ille Philocomus apud quem Valerius Cato secundum Suetonii testimonium (testim. 40) praedicauit sese Lucilii saturas legisse. Hunc grammaticum equitem R. fuisse idem tradit poeta, quod in C. Lucilii equitis familiari non mirabimur. Nam uerba 'grammaticorum equitum doctissimus' non possunt pertinere ad Catonem licentia Sullani temporis exutum patrimonio, in summa pauperie et paene inopia qui ad summam senectutem uixerit (Sueton. de gramm. 11).

Curtius Nicias Poetam et uere Latinum et Latio oriundum et uere Latinae poeseos auctorem praeter eos quos modo nominauimus grammaticos multi tractarunt uiri docti saeculi a. Ch. ultimi. Memorat Suetonius Curtium Niciam grammaticum Aristarcheum et in Graecis et in Latinis scriptoribus uersatum 'libros de Lucilio' composuisse (de gramm. 14: testim. 42): quem titulum apparet magis indicare studia de genere poeseos Lucilianae et origine, qualia Horatius exhibet serm. I 4 et 10, quam glossematum enarrationem et collectionem, qualia glossemata passim leguntur in Varronis libris et apud Festum ubi Curtii nomen nusquam inuenitur. Quare si idem Suetonius l. s. s.
Santra tradit Santram comprobasse illius libros de Lucilio, probabilius est agi de libris Santrae, quos de uita poetarum Latinorum scripsit quam de eiusdem grammatici libris de uerborum antiquitate, qui apud Festum adhibentur. Neque tamen idem grammaticus glossas Lucilii potuit neglegere in hoc libro neque alii neglexerunt uiri docti uel linguae uetustae uel antiquitatum p. R. studiosi ueluti ad Lucilii uerba 'quadrantis
Varro ratiti' (incert. u. 1272) quae Varro enarrat de l. Lat. V 44 a Festo p. 274 M. adferuntur Tarqui⟨*tii*⟩ Op⟨*il*⟩ii Antonii interpretamenta. Collegerat grammaticus quidam glossas, quibus

pisces nominantur apud Lucilium: cuius operae apud Varronem l. s. VII 47 uestigia apparent haec:

'Apud Lucilium (incert. u. 938):

"quod thynno capto cobium excludunt foras"

et (lib. I u. 54)

"occidunt, Lupe, saperdae te et iura siluri"

et (incert. u. 1304)

"sumere te atque amian"

piscium nomina sunt eorumque in Graecia origo."

Eiusdem generis glossarum apud Festum haec leguntur:

Paul. p. 21 'amian genus piscis.'

p. 22 'acipenser genus piscis.'

'apua genus minimi pisciculi.'

p. 75 'diox genus piscis frequens in Ponto.'

Fest. p. 322 'sargus piscis genus qui in Aegyptio mari fere nascitur. Lucilius: "quem praeclarus helops, quem Aegypto sargus mouebit" (incert. u. 1276).'

p. 325 'saperda genus pessimi piscis'

Vbi ex accusatiuo *amian* apparet Lucilii uersum illum spectari, praesertim cum alibi nusquam ne in glossariis quidem *amia* uocabulum inueniatur: unde ad hexametrum *occidunt* spectare *saperda* glossam apud Festum probabile esse arbitrabimur. *Acipenser* praeconis Gallonii clarissimus omnium erat in litteris Latinis (uide ad incert. u. 1240), de *sargo* unde sumptus sit, constat, de *apua* et *diox* glossarum origine est quod dubites. Grammaticus igitur ille, quem adhibuit Varro, peragrauit totum corpus saturarum Lucilii ea editione usus, quae celebris illo tempore erat et piscium nomina collegit. Sicuti Naeuii scriptorum editionem iusto ordine librorum seruato in eodem libro VII licet agnoscere 107—108, Plauti editionem 66—70, ita Lucilii editionis compositionem eo loco agnoscas quem supra scripsimus. Vnde apparet secundum temporis ordinem in illa editione carmina Lucilii fuisse composita: praecedebant septenarii trochaici et iambi quorum erat uersus primus, sequebatur liber I, unde sumptus est uersus *occidunt*, uersum denique '*sumere te atque amian*' statuemus fuisse librorum I—XXI, quam saturarum editionem a Lucilio ipso factam commemorat Varro l. s. s. V 17 (uide supra

Editio auctoris quem Varro adhibuit libro VII de lingua Latina disposita secundum tempora

Editio Lucilii uulgaris secundum metra disposita

p. XXIX seqq. et ad lib. I u. 1). Itaque ea editio cuius umbram nos in fragmentis colligendis delineare conamur grammaticorum posteriorum testimoniis usi longe diuersa erat ab illa quam Varronis auctor adhibuit, cum septenarii in ea inde a libro XXVI usque ad XXIX legerentur, post librum XXI disticha elegiaca usque ad XXV. Suspicetur aliquis illam quae apud Varronem agnoscitur ueterem fuisse Vettii Philocomi, hanc uulgarem Valerii Catonis: cuius tamen suspicionis argumenta proferri non possunt. Sed quisquis fuit ille grammaticus, qui eam quam uulgarem posterioris aetatis ordinauit editionem, apparet eum disposuisse carmina poetae secundum metrum, ita ut prima pars heroó uersu, altera elegiaco sit composita, tertia maximam partem iambis quo nomine apud antiquos et septenarii poterant comprehendi et senarii (Aristot. rhet. III 17 p. 1418b 30). Solebant enim ueteres hoc ordine et afferre et tractare haec tria metrorum genera, cuius disciplinae pauca satis erit afferre testimonia. Horatius art. poet. 73. 74 agit de numero hexametro, 75—78 de disticho elegiaco, 79—82 de iambis Archilochi. Quintilianus X 1, 46—57 epicos, 58. 59 elegiacos, 60 Archilochum iambicum poetam tractat, eadem ratione apud Diomedem G L I p. 483, 27—485, 11 K sese deinceps excipiunt epos, elegia, iambus, metricus G L VI p. 312, 7 K enumerat poeticae Latinae genera haec 'epos siue dactylicum, epigramma, iambica' e. q. s., tum Ausonius poeta paululum tantummodo ordinem legitimum mutauit in epistola ad Paulum p. 169, 37 Schenkl. p. 230, 37 Peiperi 'dactylicos elegos choriambum carmen, epodos, socci et coturni musicam carpentis impone tuis'. Proclus denique in chrestomathia apud Photium bybl. p. 319a 7—b 31 eodem ordine usus primum de epica poesi, secundo loco de elegea, tertio docet de iambo. Alexandrinorum grammaticorum studia in hac disponendi ratione agnosci consentaneum est: poetarum Alexandrinorum imitator princeps Valerius Cato quin istam bene nouerit rationem, nemo poterit dubitare. Huius editionis unum exemplar tempore imperatorum factum est archetypus eorum exemplarium quae a doctis ueluti a Nonio eiusue auctore legebantur omnium. Erat editio tripertita, cuius pars prima propter archetypum in fine mutilatum tantummodo XX

continebat libros, liber eius partis ultimus XXI perierat, ita ut a nullo omnino liber iste afferretur grammatico. Pars altera continebat libros XXII—XXV, tertia XXVI—XXX. Hac uniuersa editione grammatici utebantur neque demonstrari poterit ex silentio quod L. Muellerus (p. XIV editionis) posuit ueluti Persium et Iuuenalem alios omnino librum XXVI sequentes non nouisse. Sed Persii uersus I 114 et Iuuenalis I 151 (testim. 32. 34) recte si interpretati sumus (p. XLV), Persius iam hanc quam uulgarem diximus editionem adhibuit, cui primo loco argumentum libri I, altero libri II nominetur in saturae Lucilianae descriptione.

Commentarii in Lucilium

Poetam doctissimum non facilem fuisse intellectu legentibus ex fragmentis eius etiamnunc licet intellegere. Quare iam liberae reipublicae tempore fuisse qui commentariis Lucilium adnotarent consentaneum est: corrigit Ateius Capito apud Gellium II 24, 4 'commentariorum in Lucilium scriptores' quorum adnotatio legebatur ad incert. u. 1172 'Fanni centussis misellus' (testim. 43). Quibus uerbis significat Capito Lucilii exemplaria scholiis adscriptis exornata, nomine auctoris grammatici quae caruerint, qualia Vergilii Horatii Persii exemplaria etiamnunc seruata sunt libris manuscriptis.

Ateius Capito

Totum uero illud caput Gellii una cum Lucilii uersibus ex Ateio sumptum esse inde efficias, quod et initio et in ultima paragrapho, qua de Augusti uel Tiberii edicto sumptuario agitur eius nomen adfertur, libri numerus ad Lucilii uersus non additus est et tam subtiliter et accurate de argumento legis Fanniae et de erroribus scholiastarum Lucilii disputatur, ut iurisconsultum qui uetera monumenta adierit exponere appareat, non Gellium compilatorem. Itaque haec fere Ateius scripserat: 'Sed post id senatus consultum lex Fannia lata est, quae ludis Romanis, item ludis plebeis et Saturnalibus et aliis quibusdam diebus in singulos dies centenos aeris insumi concessit decemque aliis diebus in singulis mensibus tricenos, ceteris autem diebus omnibus denos. Hanc Lucilius poeta legem significat, cum dicit "Fanni centussis misellus". In quo errauerunt quidam commentariorum in Lucilium scriptores, quod putauerunt Fannia lege perpetuos in omne dierum genus centenos aeris statutos. Centum enim aeris

Fannius constituit, sicuti supra dixi, festis quibusdam diebus, eosque ipsos dies nominauit, aliorum autem dierum omnium in singulos dies sumptum inclusit intra aeris alias tricenos, alias denos. Lex deinde Licinia rogata est ... huius legis Laeuius poeta meminit in Erotopaegniis ... Lucilius quoque legis istius meminit in his uerbis "legem uitemus Licini".' Apparet Ateium sicuti de lege Fannia ita de Licinia inspexisse Lucilii commentarios ubi ad hemistichium s. s. inuenit Laeuii uersus in adnotatione, locum Lucilii ipsius ultimo loco posuit.

Macrobius Sed quae in commentariis illis ad Lucilii locos s. s. erant partim recte partim falso exposita, ea uidentur esse etiamnunc copiosius seruata ab illo scriptore qui de luxuria egit quem Macrobius in Saturnalibus III capp. 16 et 17 compilauit. Is primum egerat ide *acupensere* quem etiam Lucilius memorauit: de quo Verrium Flaccum egisse supra p. LIII exposuimus. Adfertur autem apud Macrobium l. s. 16, 1 Plauti locus amplus e Bacaria, unde efficitur antiquissimo auctore uti Macrobii auctorem, cum huius fabulae alibi nec uola nec uestigium extet; tum Ciceronis locus e libro de fato, quo hunc piscem apud Scipionem Aemilianum summo fuisse in honore demonstretur. Lucilii uersus de acupensere, qui alias in eius modi locis ultimo loco adferuntur, non seruati sunt apud Macrobium. Tum agitur de Tiberino lupo cap. 16, 11 'Quid stupemus ... cum in ... maximo apud prodigos honore fuerit etiam Tiberinus lupus et omnino omnes ex hoc amni pisces?' Sequitur Varronis locus ex XI rerum humanarum, tum hoc modo pergit: 'Haec Varro de omnibus scilicet huius fluminis piscibus, sed inter eos, ut supra dixi, praecipuum locum lupus tenuit et quidem is, qui inter duos pontes captus esset. id ostendunt cum multi alii, tum etiam C. Titius, uir aetatis Lucilianae, in oratione, qua legem Fanniam suasit ... sic ait: "ludunt alea ... lupum germanum qui inter duos pontes captus fuit?" haec Titius. Sed et Lucilius, acer et uiolentus poeta, ostendit scire se hunc piscem ... eumque quasi ligurritorem catillonem appellat, scilicet qui proxime ripas stercus insectaretur. proprie autem catillones dicebantur, qui ad polluctum Herculis ultimi cum uenirent, catillos ligurribant. Lucilii uersus sunt hi (incert. u. 1174 seqq.) "fingere —

catillo".' Commentarium in Lucilium Macrobii auctorem compilasse satis uetustum inde efficitur, quod non tantum agitur de lupo Tiberino, sed etiam scholion ad *catillo* legitur adscriptum 'quasi ligurritorem catillonem appellat, scilicet qui proxime ripas stercus insectaretur. proprie autem catillones dicebantur, qui ad polluctum Herculis ultimi cum uenirent, catillos ligurribant': qualia scholia leguntur apud Paul. ex Fest. p. 44, 12 'Catillones appellabant antiqui gulosos' p. 90, 2 'Fiscellus casei mollis appetitor, ut catillones catillorum ligurritores'. Accedit, quod apud Macrobium C. Titius orator proprie dicitur 'aetatis Lucilianae', quod indicat eius uerba a uetusto quodam grammatico ad uersum Lucilii antiquitus fuisse adposita in commentario. Sed tota haec ratio minus esset probabilis, nisi et Varronem et Verrium (conf p. LIII) uidissemus proprie piscium nomina e Lucilii saturis expiscatos esse: unde probabile fit haec Macrobii commenta Varroni antiquitus deberi, qui rursus ueteribus usus fuerit commentariis in Lucilium, unde Titii oratoris quem praeter Macrobium l. s. et III 13, 13 nemo adfert grammaticus et Plauti Bacchariae locos ille traxerit. Accedit quod eo quod sequitur capite XVII de legibus sumptuariis agitur de Orchia Fannia Didia Licinia lege, adferuntur testimonia e Catone et Gellii annalibus, tum de Fannia lege haec edocet (5): 'Fanniae autem legis seueritas in eo superabat Orchiam legem, quod in superiore numerus tantum modo cenantium cohibebatur licebatque secundum eam uni cuique bona sua inter paucos consumere, Fannia autem etiam sumptibus modum fecit assibus centum, unde a Lucilio poeta festiuitatis suae more centussis uocatur'. Quo loco eadem illa Lucilii et legis Fanniae interpretatio legitur quam ut falsam castigarat Ateius Capito eo loco, quo scriptores commentariorum in Lucilium commemorauerat. Qui Fanniam legem, quam significauit Lucilius, eodem modo interpretati erant, quo Liciniam apud eundem et Tappulam cuius interpretatio apud Festum p. 363, 20 haec legitur 'Tappulam legem conuiualem ficto nomine conscripsit iocoso carmine Valerius Valentinus cuius meminit Lucilius hoc modo' e. q. s. (incert. u. 1307). Nam multas Verrii glossas e commentariis petitas esse consentaneum est, ueluti quod

legitur p. 28 extr. 'aduelitatio iactatio quaedam uerborum figurata ab hastis uelitaribus. Velites dicuntur expediti milites quasi uolantes' ad Plaut. Rud. u. 525 'equidem me ad uelitationem exerceo' pertinet ubi supina neglegentia Verrii seruus litteratus lemma 'ad uelitationem: uelitatio est' e. q. s. una cum praepositione transscripserat. Vsus est Macrobius praeterea illis locis ubi Luciliana exhibet scriptore illo qui de furtis Vergilii scripsit et Gellio.

Item ad Lucilii commentarium illum pertinere statuerim Paul. Fest. p. 54 'centenariae cenae dicebantur in quas lege Licinia non plus centussibus praeter terra enata inpendebatur, id est centum assibus, qui erant breues nummi ex aere' (uide ad dub. u. 1353). Tum ex eodem commentario uidetur Verrius nonnulla intulisse in opus suum quantum ex indole et stilo elocutionis iudicare licet qualia sunt haec, in quibus lemmata scholiastae praeposita facile agnoscas:

Fest. p. 270, 4 "Rhondes Icadionque" cum dixit Lucilius *d*uo (*quo* cod) nomina *pirat*arum (*riparum* cod) posuit, tam infestum sibi corpus et ualitudinem referens, quam *illi essent* (*leuis sed* cod) saluti nauigantium' (incert. u. 1292).

Fest. p. 340, 24 '"⟨Sepultum m⟩orte meroque" (*moroque* cod) cum ait ⟨Lucilius, meminit d⟩e L. Terentio Tusci ui⟨ci magistro quem constat⟩ uiuum de saxo Tarpeio ⟨desiluisse cum eo u⟩enisset comissatum quod ⟨uini ui facere ess⟩et coactus' (dub. u. 1374).

Paul. p. 96, 3 '"Gallam bibere ac rugas conducere uentri" cum ait Lucilius, praemonet parsimonia esse utendum, neque gulae indulgendum uentremque coartandum' (lib. XV u. 501).

Fest. p. 343, 7 "Seruorum dies festus uulgo existimatur Idus Aug. quod eo die Ser. Tullius natus seruus" e. q. s. uide commentar. ad lib. VI u. 228 seq.

Notae Alexandrinorum criticae

Porro editiones fuisse in manibus grammaticorum, quae signis criticis quibus Aristarchus usus erat exornatae fuerint testatur anonymus Parisinus G L VII p. 534, 4 K (testim. 44). Quo testimonio quorum poetarum libros Probus notis exornarit, dilucide cum indicetur, non tamen poterit diiudicari, utrum Aelius Stilo an S. Ennius grammaticus, cui, si recte scripsimus, anteponitur cognomen *Spurius*, Lucilium cum

signis Aristarchi ediderit: de S. nota praenominis quod restituimus uide E. Huebnerum in enchirid. J. de Muelleri uol. I ed. II (1892) p. 657.

De scriptoribus qui afferunt Lucilii uersus

Scriptores qui Lucilii uersus afferunt in III discribi possunt classes; quarum prima est eorum, qui non grammaticae aut rhetoricae studiosi locos poetae attulerunt sed tantummodo ea de causa, ut legentium uel audientium animos poetae uersibus delectarent. Quorum in numero uetustissimus omnium est M. Tullius Cicero, qui in scriptis rhetoricis et philosophicis et in epistulis passim uersus laudauit Lucilii, in orationibus eis quae sunt superstites nusquam eum adhibuit poetam, qui et nobilium fautor fuerit acerrimus et scriptor minime popularis. Itaque quod Quintilianus scribit I 8, 11 (testim. 46) apud Ciceronem praecipue, frequenter tamen etiam apud Asinium et proximos oratores, Ennii Accii Pacuuii Lucilii aliorum inseri uersus, id de Asinii et proximorum orationibus dictum esse apparet quod ad Lucilii quidem uersus pertinet; reliquos quos nominat Quintilianus poetas a Cicerone in orationibus passim laudatos fuisse in commentario l. s. s. adnotat Spaldingus. Horatium Asinii aequalem passim imitatum esse Lucilium pueri discimus. Sed ne Vergilius quidem prorsus abstinuit elocutione Luciliana: recte enim uidentur esse obseruata quae apud Macrobium VI 1, 35 et 43 leguntur de Vergilio Lucilii imitatore, cum alia ueluti quae Seruius adnotauit ad Aen. X 104 stultitiae sint plena et peruersa (uide ad lib. I u. 3. 4 lib. V u. 218 XVII u. 547). Atque satiricos poetas Lucilium legisse ueluti Persium (uide ad lib. X u. 383 I u. 9) et Iuuenalem consentaneum est, quorum in numero Persius studiose uersum integrum Lucilii transtulerit in suam saturam I 1; sed Martialis, quod idem fecit XI 90 (uide ad lib. XXII u. 580), id ea de causa fieri uoluit, ut eorum studia et fastidia derisui haberet, qui ueterum poetarum libros mallent legere quam recentium. Neque igitur Martialis accuratius Lucilio operam dedit neque Petronius: qui quod semel (cap. 4: uide incert. u. 1279 testim. 77) dictum laudauit Lucilii, id celeberrimum fuisse et in primis ferri uulgo solitum patet Apuleii testimonio ad incert. l. s. quod est appositum. Neque in inscriptionibus Pompeianis

1) *Oratores et poetae*

Cicero

Asinius

Horatius

Vergilius

Persius

Martialis

Petronius

adhuc Lucilianae saturae lectio potuit agnosci, cum opera
Quintilianus Lucilii Quintilianum rhetorem plane ignorare appareat e loco IX 4, 38 ubi de s littera hoc modo refert: 'nam neque Lucilium putant uti eadem ultima, cum dicit "Aeserninus fuit" et "dignus locoque" et Cicero in Oratore plures antiquorum tradit sic locutos'. Sed idem testatur X 1, 93 (testim. 48) nonnullos iam illa aetate Lucilium ueterem non modo Horatio, sed omnibus poetis praeferre Latinis: quod genus hominum l. s. leniter castigat, acerbius uituperat Tacitus dialog. 23
Apuleius et Fronto (testim. 49). Iam Apuleius (uide ad lib. III u. 121 VII u. 272 incert. u. 1278) et Fronto (uide ad incert. u. 1195) etiamsi raro Lucilium nominent, non dubium tamen est, quin Lucilii
Saeculo p. Chr. II Luciliі carmina popularia fuisse scripta ipsi legerint. Populares denique inprimis saeculo altero exeunte uersiculos Lucilii etiamtunc fuisse Iulius Capitolinus (uit. Pertin. 9, 5) auctor est, qui Pertinacem 'ex uersu Luciliano' uulgo 'agrarium mergum' (incert. u. 1103) tradat fuisse appellatum. Post hunc temporis terminum nullum praesto est testimonium, quo Lucilii carmina in manibus hominum fuisse certa ratione possit demonstrari. Reuera exeunte saeculo p. Ch. II eruditionis et litterarum Romanarum historiam ad finem esse perductam iure statuas. Ingruere inde ab initio saeculi III barbariem in urbe aeterna inscriptiones tantum non clamant: ipsum saeculum a Musis Latinis fere
Saeculo p. Chr. III exeunte Arnobius derelictum uidetur et contemptum. Arnobius quod cum contemptu et irrisione eos grammaticos appellat, qui 'Marsyam Pomponii' et 'Fornicem Lucilianum' obsignatum memoria continent (uide ad incert. u. 1177), ea res minime ita comparata est, ut inde efficias Lucilii opera etiamtunc in manibus haberi in Africa et legi esse solita. Nouerat ille grammaticorum scripta qui more saeculi antecedentis ueteres tractarant poetas, non nouerat poetas ipsos: nam grammaticos castigat,
Lactantius florilegio usus non poetas ipsos uituperat Arnobius. Cuius discipulo Lactantio, cui omnium amplissima debemus Lucilii fragmenta lib. XV u. 484 seqq. de superstitione, incert. u. 1228 seqq. de hominum blanditia perfida et subdola, incert. u. 1326 seqq. de uirtute, lib. I u. 19 seqq. de dis patribus, incert. u. 953 de amicitia, quod fragmentum erat librorum XXVI—XXIX, ea ex argumenti genere et indole apparet ex florilegio ethico

esse sumpta: uide quae adnotata sunt ad incert. u. 1326. Neque Hieronymus neque Ausonius Lucilii scripta in manibus habuit (uide ad incert. uu. 967. 1189. 1299). Sed, quae est natura talis quaestionis, nos numquam certo anni numero poterimus definire, quo grammaticus Latinus Lucilianorum ultimus ultimum Suessani poetae carmina inspexerit neque quo die ultimum eius exemplar in scrinio aliquo siue Romae siue in prouincia perierit tabe et madore confectum. Hoc tantummodo erit monendum, totam hanc quaestionem coniunctam esse cum quaestione de fatis libellorum Iuuenalianorum. Nam scholiasta Iuuenalis quos attulit ad poetae sui interpretationem locos Lucilianos, isti quidem ex ipso poeta certe sunt electi, non ex commentariis Persii uel Horatii neque ex florilegiis aliisue grammaticorum libris corrogati. Quodsi scholiorum Iuuenalianorum collectio saeculo IV, quo Iuuenalis passim coeptus est lectitari, reuera facta est uetustissima, tum medio saeculo IV Lucilii et Ennii libros etiamtunc a uiris doctis lectitatos esse constat. Sed multo est probabilius poetam iam exeunte saeculo II doctos suos habuisse amatores qui Lucilii uersus et Ennii in suis exemplaribus adnotarint: quorum opera factum est ut omnino poeta ille obliuione sepultus non perierit et iterum in manus et ora hominum peruenerit inde a saeculo IV ineunte (Iuuenalis edit. Friedlaenderi I p. 82). Denique florilegio cuius auctor omnes XXX Lucilii libros excerpserit Lactantium usum esse cum supra posuerimus, memores eramus illius florilegii in quo electas ex Ennio Lucilio Varrone saturas collocauerat Iulius Florus Horatii aequalis auctore Porphyrione ad epist. I 3, 1 (testim. 45).

Quo tempore Lucilii exemplaria euanuerint e manibus hominum

Scholiasta Iuuenalis

Florilegia

Iam transeundum est ad grammaticos, de quibus breuiter agendum erit ideo, quod ad uerba Lucilii recte enarranda non magni est momenti quaestio illa de auctoribus et fontibus, unde suos quisque uersus sumpserit grammaticus. Neque enim solui ista potest quaestio ubique et, si soluta est, denuo existit statim noua quaestio unde uersum duxerit auctor ille grammatici modo inuentus, utrum alio deinceps auctore sit usus ille an ipsum adierit poetam. Atque primum in hac quaestione occupat locum M. Terentius Varro eiusque libri de lingua Latina quorum de auctoribus nuper egit R. Reitzen-

2) *Grammatici*

Varro

steinius M. Terentius Varro und Johannes Mauropus von Euchaita Lipsiae 1901, nonnulla nos supra proposuimus p. LIII. LVII Lucilii uersus passim in libris de lingua Latina leguntur quos non e poeta ipso, sed ex aliorum scriptis grammaticorum sumpsit ueluti incert. u. 1153 de ling. Lat. IX 81. Item saepenumero Lucilii uersus attulerat in libris de sermone Latino ad Marcellum aliis, quibus usi sunt Verrius Flaccus Plinius Secundus Velius Longus Terentius Scaurus Martianus Capella alii: quorum de origine quaerere, ita ut Varronis indagare studeamus aut auctores aut propriam laudem nostrum hic non est. Proximus qui tractetur grammaticus est M. Verrius Flaccus cuius amplissimum opus de uerborum significatu in lacera Sex. Pompei Festi epitoma et integra Festi epitoma a Paulo confecta ad nostrum peruenit saeculum. Qui permultos testimonio adscripserat Lucilii uersus. Sed Lucilii exemplar Verrium ipsum adiisse si quaeris minime probabile est ideo, quod Ennii annalium Lucretii Catonis originum libros singulos numero libri adiecto saepissime nominauit ille, Lucilii libros numquam numero signari uoluit. Contra permulta Lucilii fragmenta apud Verrium aliorum libris debentur ueluti Sinnii Capitonis libro de prouerbiis (incert. u. 1220. 1223), Varronis libris (incert. u. 1260. 1287, Reitzensteinii dissert. phil. Vratisl. I 4 p. 23). Alii uersus e commentariis Plauti Naeuii Ennii Catonis erant exscripti, quos uel ipse Verrius uel eius serui litterati adierant. Saepenumero enim inueniuntur glossae hac ratione enarratae, ut priore loco adscriptus sit Ennii Plauti Titinii Catonis locus, sequatur uersus Lucilii, ueluti in secunda quae dicitur parte litterae m

Velius Longus Terentius Scaurus Martianus Capella

Verrius Flaccus

p. 161, 8 'me pro mihi dicebant antiqui ut Ennius cum ait l. II "si quid me fuerit humanitus, ut teneatis" et Lucilius "nunc ad te redeo et quae res me impendet agatur".' Et in secunda parte litterae p:

p. 249, 18 'puelli per deminutionem a pueris dicti sunt. itaque et Ennius ait "Poeni soliti suos sacrificare puellos" et Lucilius "cumque hic tam formosus homo ac te dignus puellus" et Plautus "olim huic puello sese uenum ducier".' Et in priore parte eiusdem litterae:

p. 210, 18 'pedes autem pro pediculis sic Plautus refert

in Curculione ... et Liuius in Gladiolo ... et Lucilius "ubi me uidit caput scabit pedes legit".'

Et in priore parte r et s litterarum:

p. 277, 5 s. u. remorae legebatur Plauti uersus e Trinummo, tum Lucilii incert. u. 965.

p. 301, 10 'solox lana crassa, et pecus quod passim pascitur non tectum. Titinius in Barbato "ego ab lana soloci ad purpuram data" et Lucilius "pascali pecore ac montano, hirto atque soloce (incert. u. 1246)".'

p. 376, 22 'uindiciae appellantur res eae de quibus controuersia est ... M. Cato in ea quam scripsit L. Furio de aqua ... Lucilius "nemo hic uindicias neque sacra ueretur (incert. u. 1219)".'

Contra tribus tantummodo locis praecedit Lucilii uersus, sequitur scaenici poetae uersus titulo omisso:

p. 209, 3 'petimina in umeris iumentorum ulcera et uulgo appellant et Lucilius (incert. u. 1347) meminit quom ait "ut petimen naso aut lumbos ceruicibus tangat": eo nomine autem et inter duos armos suis quod est aut pectus appellari solitum testatur Naeuius in descriptione suillae quom ait "petimine † piscino qui meruerat".'

p. 277, 20 're⟨millum dicitur quasi repandum. Lucilius (incert. u. 1303) "suda ... remillum" et Afra⟨nius .. ".'

p. 270, 34 'redantruare dicitur in Saliorum exultationibus cum praesul amptruauit, quod est motus edidit, ei referuntur inuicem idem motus. Lucilius (lib. IX u. 320) "praesul ut amptruet inde, ⟨ut⟩ uulgus *redamptruet. et* Pacuuius "pro merenda gratia simul cum uideam Graios nihil mediocriter redamptruare opibusque summis persequi".'

Haec tria lemmata ex Lucilii commentario (conf supra p. LVIII) potius sumpta sunt cum in tertio appareat totam interpretationem uerbi redamptruare ad Lucilii uersum pertinere, carere interpretatione uerba Pacuuii. At aliam Lucilii editionem Verrii auctor usurparat in littera a ubi legitur

p. 9, 11 'andruare id est recurrere a Graeco uerbo *ἀναδραμεῖν* uenit: hinc et drua uocata est.

antroare gratias referre. truant mouentur. truam quoque uocant, quo permouent coquentes exta' quarum prior

glossa ad Lucilii uersum, posterior ad Pacuuii pertineat senarios. Itaque in hac editione editor *andruet redandruet* scribi uoluit apud Lucilium, Pacuuium tamen *redantruare* scripsisse adnotauit, quod uerbum diuersae sit originis. Huius editionis similem eiusque scholion adhibuit Nonii auctor

p. 165, 17 'redandruare, redire. Lucilius lib. VIIII "ut uulgus redandruet inde". Pacuuius Chryse "Graecos nihil mediocriter redandruare".' Vtramque denique lectionem andruare et antruare agnoscunt glossaria quae adhibuimus ad lib. IX u. 320. Itaque sicuti constat apud Verrium diuersas eiusdem loci Plautini lectiones adhiberi, idem cadere in Lucilium apparet.

Longe plurima tamen glossemata Luciliana ita comparata sunt ut praeter Lucilii uerba nullius scriptoris locutiones aut uersus sint adlata: posita autem sunt raro in posteriore quae dicitur parte litterarum. Quodsi casu factum esse non potest ut Verrius Ennii annalium Lucretii Catonis originum aliorum libros numero saepenumero signarit, Lucilii libros nusquam numero indicauerit, apparet quaecumque e Lucilio attulit Verrius ex aliorum grammaticorum libris esse hausta. Nam si ipse Lucilium adiisset, nouum et elegantem morem, quem in Ennio adhibuit libros numerandi, etiam in Lucilio adhibuisset. Atenim dicat aliquis etiam Ciceronem Ennii sextum et nonum annalem cum numero libri afferre, Lucilium hoc modo nusquam. Cui respondebimus aliam esse rationem grammatici, aliam Ciceronis longeque ab illa diuersam.

Plinii Secundi dubii sermonis libri

Proximus est Plinius Secundus qui in libris dubii sermonis passim uersus Lucilii attulerat, suane usus lectione an Caesaris Varronis Verrii aliorum libris non liquet. In naturali historia sane amplissimum fragmentum lib. XXVI u. 595 seq. positum in praefatione (7) e Cicerone sumpsit. Reliquias Plinianae grammaticae quas superstites esse iudicauit collegit I. W. Beckius (C. Plinii Secundi librorum dubii sermonis reliquiae Lipsiae 1894): suppeditat fragmenta largissime Charisius qui Palaemonis usus fuerit copiis et Iulii Romani: etiam Quintiliani tractatus de grammatica I 5, 55—7, 27 qui Luciliana continet, Palaemoni aut Plinio uidetur deberi: nam ipse Quintilianus Lucilium non tetigit (uide supra p. LX).

Apud eundem Iulium Romanum Charisii auctorem extant Fl. Capri doctrinae reliquiae quales plurimas seruauit Servius Diomedes alii, tum Prisciani grande opus. Vsum esse constat Caprum M. Valerii Probi copiis (Charis. GL I p. 118, 1K): neque tamen dubites, quin ipse Lucilii saturas perlustrauerit. Nam ap. Priscianum GL II p. 534, 26K seqq. redarguit Caper Probum Lucilii exemplo quod ipse uidetur inuenisse: *Fl. Caper*

'lacesso, lacessiui: sic Probus et uidetur mihi melius dicere. participium enim passiuum lacessitus. Caper tamen "lacessi" dicit esse ut "facessi" et profert exemplum Lucilii quo usus est in XIIII (u. 478 seq.) "Num uetus ille Cato * lacessisse" ... sed potest lacessisse per syncopam esse prolatum "ui" syllabae ut "cupisse" "petisse" dicimus pro "cupiuisse" "petiuisse".'

Quem locum illi considerent oportet, qui Priscianum nihil omnino de suo addere potuisse uideantur arbitrari: ueluti locum Ciceronis ad Herennium quem iam Caprum attulisse apud Prisc. I p. 95, 18H. iudicat G. Keilius (de Fl. Capro grammatico Hal. 1889 p. 18, 10) alii, is antecedit ut a Prisciano adiectus, secuntur exempla a Capro iam prolata Liuii Andronici et Plauti.

Eundem grammaticum adferri arbitror apud Charisium p. 100, 26 qui Lucilium accurate inspexerit *Caper apud Charisium*

'intiba neutro genere Vergilius (georg. I 120) dixit "et amaris intiba fibris" et sic multi eruditorum. sed et masculino genere frequenter a ueteribus dictum est. nam Lucilius in V deridens rusticam cenam enumeratis multis herbis "intibus praeterea pedibus *pro*serpsit (perserpsit *N*, perserpit *cod Dousae*) equinis" (u. 193) et Aemilius Macer "quales aget intubus herbas". Capri haec esse ideo credibile est, quod Aemilii Macri libri ibi adferuntur, ubi Capri excerpta esse constat ueluti in libello de dubiis nominibus GL V p. 576, 5 592, 20 et in Nonii libro III qui est de indiscretis generibus p. 220, 17 "prosecta exta ... generis neutri Aemilius Macer ... feminino Lucilius lib. XIV (u. 473) ...".' Quo in libro Capro Nonium esse usum post Keilium GL V p. 570 multi dixerunt. Qua in quaestione Luciliana sunt tractanda haec exempla:

Non. p. 206, 14 'forum generis neutri: masculini Lucilius

lib. III "Romanis ludis forus olim ornatus lucernis".' Charis. p. 71, 27 'forum neutro genere . . . quamuis . . . Lucilius negotiorum forum masculine extulerit libro III "forus olim ornatus lucernis".'

Non. p. 219, 4 'palumbes feminino Vergilius in bucolicis (I 57) "nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes": masculino Lucilius lib. XIIII "macrosque palumbes . . ." Charis. p. 106, 24 'palumbes Vergilius feminino genere dixit "aeriae quo congessere palumbes" (bucol. III 69) item "raucae tua cura palumbes" (l. s. I 57) sed Lucilius XIIII masculine "macrosque palumbes" . . .' Quos locos Lucilii e grammatico sumptos esse a Nonio inde est manifestum, quod libros I—XXI non appellat *satyrarum* genetiuo adiecto, sicuti fecit cum exemplari suo utitur Lucilii.

Denique e Capro sumpta esse patet ea quae leguntur Charis. p. 145, 19

> 'Torques hic et haec torques nominatiuo, ut et hic et haec canes a Lucilio libro I dictum legimus: itaque dixisse ueteres Caper his exemplis docet: Laeuius' e. q. s. p. 125, 20 'Canes Lucilius I "inritata canes quam homo quam planius dicit" pro canis.'

Sed aliis quoque locis manifestum est grammaticum exscriptum esse apud Charisium, qui accurate exemplar Lucilii inspexerit. Veluti p. 78, 12 de Lucilio dicit

> 'denique et in libro VIIII sic ait (u. 362 seq.) . . . et paulo post (sequitur u. 366).' Et eodem modo p. 94, 23
>
> 'sed inepta haec esse Lucilius docet qui etiam medicorum forcipes dicit libro XI (u. 401 seq.) . . . item paulo post (sequitur u. 403 seq.).'

Vtroque loco iustum uersuum ordinem, qualis fuerat apud Lucilium, seruauit grammaticus idque ita se facere indicauit lectori. Et paulo post p. 96, 9 legimus

> 'alicam sine adspiratione dictam Verrius tradit et sic multi dixerunt quamuis Lucilius XV "nemo est halicarius posterior te" cum adspiratione dixerit' (u. 496).

Quae omnia ex Capri libris sumpta esse probabiliter arbitror esse statuendum. Hunc igitur ubique omisso genetiuo *satu-*

rarum uidemus Lucilium afferre, quem ipse inspexerit uel in aspirationis minutiis diligentissimus. Sed Charisii capp. XV et XVI (p. 50—147), ubi illi quos supra tractauimus loci inueniuntur, exhibent plus XXXV Lucilii fragmenta, sumpta ex prioribus ordine et ex posterioribus saturarum libris: nam etiam liber XXV adfertur p. 123, 12 et liber XXIX p. 97, 4. Peragrauit igitur grammaticus ille quem Caprum fuisse suspicor totum corpus saturarum Lucilii a primo usque ad ultimum librum studiose; Lucilium semper eodem modo laudauit quo Caper, i. e. omisso genetiuo *saturarum* praeter unum exemplum positum p. 118, 29. Eandem uero in Lucilio afferendo rationem deprehendimus apud Priscianum, quem Capro usum esse constat sicuti de Capro constat Charisii auctore. Vbi libri Lucilii afferuntur inde a II usque ad XXX, ita ut auctorem totum peragrasse corpus saturarum manifestum sit et ubique adferuntur omisso genetiuo *saturarum* uno loco excepto I p. 203, 19H de quo infra agetur. Atque Charisii illorum capitum multa sunt propria multique scriptores peculiares: passim adfertur Plinius, grammaticorum Stilo, Aurelius Opilius, Epicadus, Santra, Hyginus, Cornuti libri in Vergilium, poetarum Catullus, Cinna, Varro Atacinus, Horatius, Tibullus, Propertius, Aemilius Macer, Valgius, Maecenas, Ouidius, Pomponius Secundus, Cornelius Seuerus, Martialis, Annius Florus, tum C. Caesar, T. Liuius, Cornelius Nepos, Asinius Polio. Eosdem scriptores reperimus in disputatione Capri de dubiis nominibus GL V p. 571—594 ueluti Aemilium Macrum, Horatium, Tibullum, Propertium, Cornelium Seuerum, Martialem poetas, Nepotem Liuium Polionem historicos: utraque disputatio ea re inprimis insignis est, quod utrobique adfertur Scaeuola (I p. 101, 7 V 575, 24), Melissus (I 101, 4 V 575, 8, Varronis de actionibus scaenicis libri (I 147, 6 alibi V 590, 4), eiusdem epistolicae quaestiones (I 138, 4 alibi V 588, 19), liber ad Neronem (I 130, 17 V 590, 26). Itaque omnia fere quae apud Charisium l. s. s. inueniuntur fragmenta Lucilii Capro uindicabimus, qui eius saturas eodem modo peragrauerit quo Gellii libris historicis operam dedit Charisii auctor p. 54, 13 seqq. ubi primum adfertur 'Gellius in II . . . et in eodem . . .' tum 'et in tertio . . . et in V . . . et in VII . . . idem

Caper apud Priscianum

Gellius in XCVII ... et mox ...' ut eundem scriptorem adhibitum esse appareat, qui simili modo omiserit quod alii addunt *annalium* sicuti in Lucilio omittit illud *saturarum*. Adde quod bis Lucilii nomen cum Gellii in illa parte coniungitur p. 54, 25. 71, 29. Neque quidquam uideo causae, quare illis locis omnibus Plinii potius uel Probi copias a Capro exhiberi credendum sit.

Longe aliter comparata est pars illa Charisii p. 190—242 ubi paucis paginis exceptis de quarum auctore constat certum est Iulii Romani librum esse descriptum. Qua in parte nusquam legitur ueluti *Lucilius V*, sed tantummodo *Lucilius* aut *Lucilius saturarum I*. Loci sunt quinque p. 195, 6. 203, 20. 217, 25. 223, 21. 240, 8 ubi *saturarum* additur librorum numeris praeter 223, 21 quem ut corruptum Keilius asterisco notauit: continentur uero uersus Lucilii intra lib. I—XI. Adhibetur etiam in hac parte Fl. Caper, cuius rationem facile agnoscimus p. 207, 30 'nouissime Tiro in pandecte non recte ait dici adicitque quod sua coeperit aetate id aduerbium. ubi Fl. Caper de Latinitate: "miror", inquit, id dixisse Tironem, cum Valerius Antias libro II "mater ..." idem XXII "quod nouissime ..."' Atque ex Capro haec fragmenta Lucilii sumpta non esse consentaneum est, cum haec pars omnes illos auctores, quos prioris illius partis proprios supra p. LXVII nominauimus, non exhibeat: in qua ueluti Plinii nomen nusquam legatur. Contra multa huius partis sunt propria quae facile quiuis colligere possit perlegendo. Inprimis adferuntur scaenicorum uersus: ueluti Naeuii fabulae in priore parte semel tantummodo adferuntur (p. 127, 5) semel, quod apud Priscianum totiens adhibitum est bellum Punicum (p. 128, 17): hic bellum Punicum nusquam, Naeuii comoediae fere triciens adferuntur: idem fere de Afranio dicendum est et de Ennio: contra Accius et Pacuuius raro in hac parte, multo saepius in priore leguntur. Sola in hac parte legitur Plauti Friuolaria et Caecus, Attae et Iuuentii nomina, Sisennae Milesiarum lib. XIII alia. Neque tantummodo in Lucilio adferendo ratio discrepat. Veluti p. 84, 6 legitur 'ut in Odyssia uetere, quod est antiquissimum carmen' omisso Liuii nomine, sed p. 197, 15 tantummodo 'Liuius' omisso nomine carminis.

Tum p. 141, 13 et 24 'Cornelius Nepos inlustrium uirorum libro XVI', at p. 220, 12 'Nepos de inlustribus uiris II'; p. 128, 27 'Cicero de oratore libro II', contra p. 195, 27 'M. Tullius de oratore ad Quintum fratrem'; p. 126, 23 'Cato de multa contra L. Furium' sed p. 208, 19. 212, 1. 216, 11 ter 'M. Cato in L. Furium de multa'. Grammaticorum nomina quae in hac posteriore parte solâ nominat Romanus enumerare longum est: commentarios multorum in multos scriptores eum adhibuisse certum est ueluti adhibuit Scauri commentarium in Horatii poeticam, Acronis et Celsi in Terentium, Celsi Salutaris Velii Longi in Vergilium, Pauli in Afranium, eiusdem in Coelium, Aspri in Sallustium, Sacri in Ciceronis orationes, Sisennae in Plautum. Nonnumquam e commentariis plura exscripsit quam aptum erat, ueluti e Plauti commentario p. 240, 5 haec apposuit recte edita a Keilio 'euax Plautus in Bacchidibus (247) "euax aspersisti aquam" fili nuntio. Ennius quoque annalium libro "aquast aspersa Latinis"' quae nihil pertinent ad *euax* glossam quam in heroo carmine fuisse minime credi potest. Eodem modo ex eodem commentario p. 205, 5 'meditate Plautus in Bacchidibus (545) "edepol ne tu illorum mores perquam meditate tenes" in quibusdam non ferunt' (feruntur Ritschelius: conf p. 199, 11). Aduerbia quae e Lucilio protulit Romanus haec sunt quattuor: amplius longe satis utpote. Sed haec aduerbia e Lucilio ipso sumpta non sunt, ubi uel mediocriter doctus grammaticus poterat multo meliora exempla inuenire ueluti *ampliter firmiter ignauiter demagis desubito publicitus* alia. Itaque casu factum esse negabimus quod illud fragmentum quod primo loco positum est p. 195, 6 'amplius Lucilius saturarum I (u. 5 seq.) "quo pacto populum"' e. q. s. adfertur a scholiasta Veronensi ad Aen. XII 680, alterum p. 203, 20 'longe pro longitudine Lucilius saturarum III (u. 114) e. q. s.' positum est post Vergilii uerba Aen. I 13 'Tiberinaque longe ostia', tertium p. 217, 25 'satis diuerse accipitur, *ἀντὶ τοῦ* par Lucilius saturarum (incert. u. 1147) * 'cui si coniuret populus uix totus satis sit' potuit adscribi ad Vergil. Aen. VII 470 'se satis ambobus Teucrisque uenire Latinisque' denique p. 223, 21 'Vtpote Lucilius III (u. 147) * suum

potuit habere locum ad Aeneid. X 481, ubi in Seruii commentario de *mage* et *pote* etiamnunc agitur: item ultimum quod legitur p. 240, 8 'mu pro muttire Lucilius saturarum libro XI' e. q. s. poterat esse adnotatum ad eos uersus Vergilii ubi *mussare* uerbum legitur ueluti conf Seruium auctum ad Georg. IV 188 ubi Ennii uersus extant adscripti: mussare cum *μῦ* Graecorum coniungit Varro de l. Lat. VII 101. Neque tamen uersus Lucilii si re uera Romanus ex eis petiit commentariis in Vergilium quos passim nominat, auctorum istorum fuere, sed e uetustioribus desumpta ueluti e Valerii Probi commentariis quem ad Naeuii uersus in illa parte nominat auctorem Iulius Romanus p. 198, 16 his uerbis 'Efflictim Naeuius in Corollaria "nolo ego hanc adeo efflictim amare: diu uiuat uolo, ut mihi prodesse possit" ubi Probus "usque donicum effligatur"': quo in loco Probi uerba satis indiligenter descripsit grammaticus.

Atque Priscianus praeter unum locum I p. 203, 19 ubique Lucilium adfert secundum Capri consuetudinem omisso genetiuo saturarum. Agitur illo loco de 'caepe' uocabulo hoc modo 'hoc cepe, huius cepe Apuleius in medicinalibus "cepe sucum melle mixtum" quod in plurali numero femininum est primae declinationis "hae cepae harum ceparum" quamuis antiquissimi in a quoque singulare feminino genere hoc recte protulisse inueniuntur. Naeuius in Apella ... Lucilius in saturarum VI (lib. V u. 195) ... frequentior tamen usus "hoc cepe" protulit. Naeuius in Apella ... Nouius in eculeo ... Varro de actionibus scaenicis III ... Caper tamen et "cepicius" et "cepicium" ueteres dixisse ostendit'. Vbi Capro tribuas Varronis locum de actionibus scaenicis propter ea quae supra p. LXVII exposita sunt. At Naeuii duo loci ex Apella comoedia, quae alias nusquam commemoratur, Probum indicant auctorem, qui apud Charisium l. s. s. de Corollaria Naeuii appellatur, item apud Priscianum I p. 541, 19 H. de alia Naeuii comoedia hoc modo: 'sic enim Probus de dubio perfecto tractans ostendit Naeuium protulisse "an nata est sponsa praegnas? uel ai uel nega".' Itaque cum idem hic uersus Naeuii legatur apud Diomedem in capite de perfecto p. 374, 4, ubi antecedat p. 373, 23 'occino occini',

apud Priscianum I p. 529, 6 H. legatur 'sed Probus "occini" quoque existimat posse dici', nemo dubitabit, quin Diomedes in toto illo capite de perfecto Probo usus fuerit, qui reuera nominatur a Diomede p. 364, 30. 365, 10. Quam Keilii sententiam G L I p. LII seqq. prolatam ita tantummodo licebit corrigere, ut et apud Diomedem et apud Charisium posterioris alicuius scriptoris, qui Probum ad uerbum exscripserit, disputationem nobis esse seruatam statuerit quispiam. Quam quaestionem nunc mitto, cum ad eam quam nos tractamus parum pertineat. Ergo quae in capite de uerbo apud Diomedem leguntur p. 369, 15—24, ea Probi esse apparet: 'neglego, neglexi: Aemilius Macer "omnium nostrum neglegerit auctoritatem".' Idem eodem modo corruptum Probi exemplar adhibuit Priscianus I p. 525, 3 'neglego neglexi ... quamuis † Aemilius Macer in XVI annalium "omnium nostrum neglegerit auctoritatem" pro "neglexerit" ait'. Nimirum alio loco alio auctore usus Priscianus II p. 8, 8. I p. 227, 1. 266, 23 ter eodem modo '*C. Licinius in II*'; sed quarto loco, ubi Probo auctore usus est I p. 242, 20, hoc modo: 'nam "inquies", cuius extremam corripi dicit Probus "inquietis" declinatur, quod trium factum est generum, ut supra ostendimus. cuius etiam simplex in usu inuenitur trium generum. Naeuius in carmine belli Punici ... *Licinius Macer in I annali* ... Sallustius in II historiarum ...' Sequitur apud Diomedem: 'necto ⟨*uel nexo*⟩ nexui uel nexi, Vergilius "palmas amborum innexuit armis" Liuius in Odyssea "nexebant multa inter se" Maecenas "nexisti retia lecto" Lucilius saturarum (lib. V u. 217: *satyrarum curarum* codd) "tum retia nexit".' Itaque quo tota haec tendit disputatio nimis iam copiosa, demonstratum est Probum solere addere genetiuum *saturarum* in Lucilii locis adferendis. Hoc loco agnoscit tantummodo *necto* uel *nexo nexis* tertiae coniugationis, cuius perfectum sit *nexui* uel *nexi*. Probum redarguit is quo Priscianus utitur auctore I p. 469, 12, cum demonstret etiam *nexo nexas* dictum fuisse a Vergilio: 'nexo quoque "nexas" — uel "nexis" ut Probo placet, "nexui". Vergilius tamen in V "nexantem nodis seque in sua membra plicantem" secundum primam protulit coniugationem. Liuius uero in Odyssia "nexebant multa inter

se flexu nodorum dubio" Accius in Deiphobo "nos continuo ferrum eripimus, manibus manicas neximus". necto tamen eius est primitiuum: nam quomodo a participio "amplexus" ... fit ... "amplexor amplexaris", sic a ... "nexus" ... fit ... "nexo, nexas". unde manifestum, quod rationabilius hoc secundum primam coniugationem protulit Vergilius. a "necto" tamen similiter "nexui" protulerunt plerique, quidam tamen etiam "nexi" ... Vergilius in V "et paribus palmas amborum innexuit armis" Lucilius in V "hic solus uigilauit, opinor, et cum id mi uisus facere est, tum retia nexit".' Eadem fere de praesenti *nexo nexas* et *nexo nexis* profert Priscianus I p. 538, 6—15, de perfecto *nexui* et *nexi* p. 536, 8—15: 'similiter necto "nexui" et "nexi". Vergilius in V "et paribus palmas amborum innexuit armis" ... Lucilius in V "hic ... nexit" Propertius "at tibi qui nostro nexisti retia lecto".' Vbi Propertii exemplum (III 8, 37) Capri est, qui Maecenatis exemplum a Probo allatum omiserit, simillimum Propertii addiderit. Nam Propertium in eis poetis esse quos Caper egregie adhibuerit supra exposuimus p. LXVII: neque denique probabile arbitror Maecenatis nomen errore positum esse apud Diomedem quod Lachmannus arbitratus est esse factum in Propertii editione p. 263, sed Propertium l. s. carmina regis sui quem insequente carmine appellat comiter et blande laudasse.

M. Valerius Probus

Quae si recte disputauimus, Probus solebat addito genetiuo *saturarum* uersus afferre Lucilianos, quem Caper non addebat neque alia ratio in historicis cernitur ab utroque grammatico allatis. Cuius rei certum exstat testimonium apud Gellium VI 9, 12 'Idem Probus Valerium Antiatem libro historiarum XXII "speponderant" scripsisse adnotauit'; contra Charisius p. 207, 30 'nouissime ... ubi Fl. Caper de Latinitate "miror", inquit, "id dixisse Tironem, cum Valerius Antias libro II "mater cum nouissime aegrotasset" inquit "uouisse fertur" idem XXII "quod nouissime nobiscum foedus fecissent".' De loco Charisii p. 118, 29 ubi legitur 'Lucilius libro I saturarum' infra disputabitur p. LXXV. Atque exstant etiamnunc excerpta e commentario M. Valerii Probi in Vergilii bucolica et georgica satis copiosa edita post H. Keilium modo in Seruii uolumine III 2 p. 323 seqq. Lipsiae 1902.

Quas eclogas descriptas fuisse e codice Vergilii adnotationibus exornato consentaneum est, quae Valerii Probi nomen referebant in indice libri ut auctoris. Eius modi codicem unius grammatici puram per saecula multa exhibuisse doctrinam in margine expositam minime credibile est; sed multae deinceps adponebantur a multis, qui illo codice utebantur, adnotationes uel aliunde sumptae uel ad usum puerorum a patre familias qui possidebat librum additae pingui Minerua. Sed libri ipsius genus et indolem facile cernere licet ex adnotatione ad eclog. VI 31 p. 336, 21 'De qua re haec tradit Varro, qui sit Menippeus non a magistro, cuius aetas longe praecesserat, nominatus, sed a societate ingenii, quod is quoque omnigeno carmine satyras suas expoliuerat. In tertio rerum humanarum refert' e. q. s. Sicuti in toto libro, ita hoc praecipue loco mireris oportet non tantummodo insignem auctoris doctrinam, sed etiam uberem eiusdem loquacitatem.' Quid enim saturae Menippeae cognomenue Menippeus ad libros rerum humanarum? Patet haec non esse scriptoris, sed doctoris, librum non esse opus expolitum a grammatico, sed excerpta e commentario scholastico, quae et impigre docentem et abundantem doctrina uel intempestiua prodant praeceptorem, modo qui ad rem protulerit eruditionis insigne specimen, modo ea quae nihil ad rem sed docendis erant pueris apta et satis uulgaria. Neque is, qui haec composuit excerpta, uno contentus erat Probi commentario, quales sicut Aristarchi commentarii uulgo ferebantur plurimi (Lehrsius de Arist. stud. Hom. edit. III p. 22 seqq.). Nam ad eclog. III 40 alterum additur scholion post uerba 'in alio sic', item ad georg. I 244 II 37. Suetonii caput de Probo (de gramm. 24) cum perlegimus, ipsam huius libri naturam agnoscere nobis uidemur 'unum et alterum, uel cum plurimos tres aut quattuor postmeridianis horis admittere solebat, cubansque inter longos ac uulgares sermones legere quaedam, idque perraro. Nimis pauca et exigua de quibusdam minutis quaestiunculis edidit'. Itaque ex sectatorum libris inprimis innotuisse Probi disciplina aetati posteriori putanda est, sicuti 'ex familiari eius, docto uiro' Gellius se comperisse scribit I 15, 18 quomodo de Sallustiano quodam loco grammaticus ille illustris iudicauerit. Itaque eis, quae

nuper B. Kueblerus inprimis (de M. Valerii Probi commentariis Vergilianis Berol. 1881) attulit argumenta, quibus haec quae in isto commentario inueniuntur doctrinae eximiae et singularis documenta Probi non esse demonstraret, equidem manus dare nequeo. Veluti cum apud Macrobium Saturn. V 22, 9 legatur 'in hoc loco Valerius Probus uir perfectissimus notat nescire se hanc historiam siue fabulam quo referat auctore' (Vergilius georg. III 391), unde manifestum est admodum curasse Probum et auctores Vergilii et historiam fabularem, nil mirabimur in commentario seruato illam Probi adnotationem desiderari: nam ne ea quidem quae Macrobii auctor l. s. de Nicandro Vergilii auctore rettulit in commentario leguntur adscripta. At quam saepe de historiarum Vergilii auctoribus in Probi commentario disseritur, tragici Graeci poetae Alexandrini alii adhibentur testes. Praeterea quae in eodem commentario leguntur ad eclog. VI 31 de quattuor elementis, eorum plane similia Probum reuera tractasse apparet Seruii scholio ad Aen. X 18, quo loco *physici* a Probo item memorantur sicuti in commentario fit ad eclog. VII 61. Hanc similitudinem admodum infeliciter Kueblerus tollere studet p. 20 in adnotatione 2, illam parum apte expedire p. 32. Tum quae collegit p. 29—31 ex commentario tamquam inepta et Probo indigna, uereor ne nimis confidentes nos hodie simus in sententia ferenda de grammatico parum noto; neque ea, quae Kueblero inepta esse uidentur etymologiarum conamina Graecae linguae auxilio instituta ea ueteribus Romanis inepta uidebantur quorum multi Graecae linguae parum fuerint periti. Immo unum illud etiamnunc stat argumentum quo commendatur Probi auctoritas inde sumptum, quod nouissimus qui bis appellatur in commentario grammaticorum est Aemilius Asper (337, 25. 341, 18 edit. Lips.) contra quem l. s. pugnat auctor sicuti Probus teste Seruio ad Aen. X 539 Donato ad Terent. Adelph. III 2, 25 contra Asprum pugnauit: etiam apud Donatum ad Phorm. I 2, 24 is qui Asprum refutat Naeuii uersibus ex comoedia petitis Probus fuisse uidetur (conf supra p. LXX). Auctor commentarii totum legit corpus Lucilii: p. 326, 18 edit. Lips. adfert 'Lucilius in tertio satyrarum', p. 340, 23 'Lucilius in XXVIII satyrarum': quod

posterius testimonium si non extaret, dubitaret aliquis, num libros XXVI—XXX reuera saturarum nomine credendum sit fuisse antiquitus praeditos. Quo more adferendi Lucilium discrepat Probi commentarius ab omnibus reliquis scholiastis in Vergilium et in Terentium, qui ubique tantum 'Lucilius libro II' similia: de Porphyrione infra agetur.

Qua ratione grammatici inter se discrepent in Lucilio afferendo

Quomodo Plinius Lucilii uersus attulerit, non uideo qua ratione demonstrari possit. Nam apud Charisium p. 118, 25 quae leguntur, ea non ex Plinio petita esse apparet, sed ex eo grammatico, qui Plinium refutarit: 'autumnal: Varro "aequinoctium autumnal", quod idem Plinius eodem libro VI notat. uidendum tamen est an reprehensione sit dignum prius illa nobis spectata ratione: nomina quaedam sunt principalia, quae Plinius Secundus eodem libro "facientia" appellat, ex quibus possessiua nascuntur, quae "patiendi" uocat, ut "aquale" (*tamen* (*nam* cod) Lucilius libro I saturarum (u. 17) "arutaenaeque inquit aequales"), non ut ⟨*animal capital tribunal*⟩ autumnal. huius autem principale nomen est "aqua", quod uero patitur ac tenet aquam "aquale", ut "equile sedile monile" ait idem Plinius [aquale] . . . animal animale faciet, ut autumnal autumnale, capital capitale, tribunal tribunale, quae patiendi non sunt ut supra diximus'. Vbi Lucilii uersum quis intulerit parum ad rem pertinentem, nemo bono argumento usus poterit euincere.

Itaque primus de quo constat numerus libri Luciliani legitur apud Quintilianum I 7, 19 'in nono' siue e Palaemone sumptus est locus ille siue aliunde. Et eodem more poetam adferebant Velius Longus (GL VII p. 47, 3. 56, 6) scholiastae Vergiliani praeter Probum omnes, item scholiasta in Terentium, Suetonius apud Diomedem (p. 7, 7 et 21, 8 R) et apud Priscianum (p. 347, 15 et 348, 7 R), Fl. Caper de quo supra egimus, Macrobius praeterquam in eis quae e Gellio descripsit. Contra praeter Probum de quo antea disputauimus constat de Q. Terentio Scauro (GL VII p. 18, 15) qui scribat 'in nono saturarum' et de Censorino de die nat. cap. 3, qui semel eadem utitur ratione. Reliqui qui priorum thesauros compilarunt modo addunt modo omittunt genetiuum quorum e numero Charisium et Priscianum iam tractauimus, reliqui

sunt Porphyrio Gellius Nonius grammaticus CGL IV p. XVIII.

Scholiastae Atque scholiastas in Vergilium qui seruati sunt priorum grammaticorum libros compilare neque Lucilium ipsum eos legisse praeter Probum primo obtutu apparet, idem statuendum est de Donati qui feruntur commentariis in Terentium, de Persii Iuuenalis Lucani commentariis quales hodie leguntur et de falsi Asconii commentario in Ciceronis orationes:

Hieronymus Ausonius Hieronymus quae habet propria de Lucilio et Ausonius ea sumpta esse e talibus in Ciceronem Iuuenalem alios commen-

Isidorus tariis qui hodie non iam extant passim adnotauimus: Isidorus uulgo fertur e Suetonio uersus Lucilii sumpsisse. Adhibuerunt porro auctores commentariorum in Terentium Vergilium Horatium libros a I usque ad XXX omnes praeter XXI.

Porphyrio Porphyrio denique ideo memorabilis inter ceteros, quod inde a p. 31, 19 Holderi id est od. I 22, 10 usque ad p. 239, 2 id est ad Horatii serm. I 2, 125 ter poeta adfertur ueluti 'Lucilius in VIII', inde a. p. 240, 6 usque ad p. 279, 16 id est inde ab Horatii serm. I 3, 1 usque ad 9, 78 quater ueluti 'Lucilius in sexto satyrarum': post hunc locum libri Luciliani numerus non iam inuenitur. Commentariorum auctores nominat Porphyrio Helenium Acronem semel p. 273, 20 Holderi, Q. Terentium Scaurum item semel p. 312, 15 quem genetiuum addere *saturarum* in Lucilio adferendo supra expositum est. Largissima copia Lucilii uersuum affertur in commentario ad serm. lib. I, in reliquis libris satis pauca: fragmenta Lucilii traduntur in commentario

ad od. I 3
ad od. III 1 quod idem legitur in scholiis ad Ter. Andr. III 2, 4 (lib. V u. 222)
ad serm. I 20
ad serm. II 2
ad epist. I 3
ad epist. II 1

Atque iam in commentario ad serm. II 1 ueteres grammaticos neglexit Porphyrio qui nimis inepta protulerit de Lucilio et Scipione ad II 1, 16 et de Lupo ad 68: uide supra p. XXXVI.

Gellius Gellium poemata Lucilii ipsa euoluisse et adiisse aegre crediderit qui libri IX cap. 14 § 21 seq. inspexerit ubi hoc

modo disputatur: 'In casu autem dandi, qui purissime locuti sunt, non "faciei" uti nunc dicitur, sed "facie" dixerunt. Lucilius in saturis (incert. u. 1257) "primum", inquit, "facie quod honestae tantis accedit". Lucilius in libro septimo (u. 269 seq.) "qui te diligat, aetatis facieque tuae se fautorem ostendat, fore amicum polliceatur". Sunt tamen non pauci, qui utrobique "facii" legant'. Apparet Gellium in priore Lucilii uersu usum esse grammatico, qui omisso numero libri attulerit uersus scriptorum, ueluti 'Lucilius in saturis', 'Ennius in annalibus', posteriore loco alio grammatico, qui scribebat ueluti 'Lucilius in libro VII', ineptissime uero eum una collocasse duo illa Lucilii fragmenta in propatulo est. Atque priore loco eodem uidetur uti grammatico, quo usus est IV 16, 5 seqq., ubi de datiuo *anu uictu* similibus dum agit Lucilii uersus affert libri nota omissa. Eodem modo Lucilium affert VI 3, 28 ubi Tirone, II 24 (conf supra p. LV) ubi Capitone Ateio utitur, adde XVIII 5, 10 ubi peruulgatis sese uti commentariis exponit in exitu capitis. Sed posteriore loco ubi legitur 'Lucilius in libro septimo' probabile est eum eodem auctore usum esse quo antea utitur inde a § 6 ubi legitur 'ut Caesellius ait'. Qua in parte adferuntur deinceps (10) 'M. Cato in oratione ... Lucilius in XII ... Sisenna in historiarum libro VI ... Pacuuius in Paulo ... Cn. Matius in Iliadis XXI ... idem Matius in XXIII ... C. Gracchus de legibus promulgatis ... et ibidem infra ...' unde apparet grammaticum illum et Matii et Gracchi uerba ordine legitimo adferre adscripta. Quae sententia eo commendatur, quod Matii poetae uerba alibi quoque Caesellius attulit testimonio ueluti Charis. p. 117, 13 'acrum tamen pro acrem Cn. Matius Iliados XV ⟨*ut*⟩ Vindex a litterae libro I notat'. Neque dubitandum est, quin Caesellius ipsum Lucilium perlegerit. Quem grammaticum saepe refutare et corrigere studebat Sulpicius Apollinaris (II 16), quo auctore utitur Gellius IV 17, 1 'Lucilii ex XI uersus sunt ... idem infra ... item XV' quae ordine legitimo prolata eundem produnt auctorem, quem illo loco s. s. adhibuit IX 14, 10 seqq., cum hoc posteriore loco commemoretur Sulpicius § 11 et Caesellii reuera copiis usus ille fuisse uideatur. Hic igitur Lucilium solebat adferre genetiuo *satu-*

Caesellius Vindex

rarum omisso. Redarguit autem Caesellium non tantum Sulpicius sed etiam Terentius Scaurus de quo supra egimus p. LXXV teste Gellio XI 15, 3 ubi a Laberii loco proficiscitur Caesellii interpretatio, poetae admodum rari apud grammaticos. Vnde suspiceris Gellii caput XVI 9 ubi de 'susque deque' agitur, testimonia adferuntur deinceps 'Laberius in Compitalibus ... M. Varro in Sisenna ... Lucilius in tertio ...' item e Caesellii copiis esse hausta. Praeterea adferuntur III 14, 10 primum uersus Lucilii omissa libri nota 'Lucilius ... et alio loco ...', sequitur (11) 'Iam in uicesimo' unde complures iterum scriptores compilasse Gellium appareat, item XI 7, 9 'est autem in Lucilii XI uersus': quorum capitum de auctoribus quae uiri docti eruere sibi uisi sunt collegit Hosius in Gellii editione p. XXX. XLIV. Aliis tamen locis Gellius scribit ueluti Lucilius in tertio satyrarum sicuti I 16, 2 quod caput fuere qui Probo tribuerent (Hosius l. s. p. XXIV 3) nec errarunt, opinor. Nam adferuntur testimonio inde a § 2 'Item Lucilius in tertio satyrarum ... Varro in XVII humanarum ... M. Cato in primo originum ...' Nempe eandem seriem scriptorum eadem ratione qui adferantur praebet Valerii Probi in Vergilium commentarius p. 326, 2 ed. Lips. 1902 'Huius autem fluminis ... Varro meminit humanarum XI sic ... item Cato originum III ... Facelitis autem Dianae Lucilius quoque in tertio satyrarum meminit sic ...' Reliquos locos Lucilii qui eodem modo addito genetiuo *saturarum* adferuntur apud Gellium XVIII 8 IV 1, 3 X 20, 4 unde sumpserit nescio.

De Nonio Iam uentum est ad eum grammaticum, cui longe plurimae debentur reliquiae poeseos Lucilianae, Nonium dico Marcellum Numidam, cuius de gentis splendore et diuitiis et de patria constat titulo CIL VIII 4878 (in sylloge Dessauiana I 2943; conf Rev. arch. 1903 p. 144), de persona et tempore nondum constat, nisi quod scripsit post Gellium. Librum composuit compendiosae doctrinae ad filium, qui liber postea e penatibus domus Nonianae excessit et bybliopolis et grammaticis ideo in honore debuit esse, quod illi, quorum locutiones in Nonii libro inueniri poterant scriptores uetusti, in bybliothecis et apud bybliopolas non iam exstabant. Hominem uulgo dicunt stuporis plenum et ineptiarum, cum de origine

operis minus recte iudicent Nonio ipsi ea tribuentes, quae aperte erant mancipiorum opera collata et digesta. Habebat homo praedives seruos nonnullos litteratos, quibus singula scriptorum opera dispertiebat excerpenda, quorum ingenii indolem diuersam facile ex opere ipso licet etiamnunc agnoscere. Ille qui Gellium tractauit quomodo adhibuerit grammaticum, facillime omnium ea re perspicitur, quod Gellius solus est superstes eorum grammaticorum quorum libros Nonii operae compilarunt. Tumida elocutione usus lectori fragmenta Gelliana propinat neque tamen homo rudis aut stupidus ille erat, cum potuerit augere illa excerpta Graecis uersibus ex Homeri carminibus petitis p. 50, 10 seqq. Alii seruo tradiderat dominus Ciceronis libros oratorem de oratore III Academicorum IV Tusculanarum V, alii libros de officiis III, Hortensium de senectute de republica: hic excerpta sua uoluit ornari nomine *M. Tullius*, ille cognomine *Cicero* solo. Habuit etiamtunc in sua bybliotheca apographon non optime factum saturarum Lucilii lib. I—XXI exemplaris illius, quod solum propagabatur a bybliopolis inde a tempore Flauiorum, cuius in exitu perierat liber XXI, praeterea praesto erat librorum XXII—XXV liber primus, i. e. XXII. Quos libros alii tradidit seruo excerpendos qui eclogas suas proposuit cum uerbis *Lucilius satyrarum lib. I* sequentibus: is praeterea quotienscumque alium librum eodem loco de eadem uoce adfert non antecedentes sed sequentes libros adfert post uocabula *idem libro*. Alii seruo tradidit libros XXVI—XXX, qui genetiuum omittit, semper post *idem libro* libros laudat antecedentes. Quod uero uulgo docetur hunc semper ordine inuerso libros inde a XXX usque ad XXVI, hunc recto ordine inde a I usque ad XX progredi in opera sua, hoc recte dictum non esse postea apparebit. Similiter de seruis illis III quibus saturas Varronianas tradiderat tractandas licet iudicare (P. Schmidtii de Non. Marc. auct. grammat. p. 129); quorum ille qui XVIII saturas excussit nugator erat et nebulo, cum e Varronis exemplari corrupto *uulga* exscriberet sub u littera p. 187, 17 'uulga capacitas uel sinus cum laxitate', contra recte serui Luciliani duo illi p. 78 sub b littera posuere uersus Lucilianos, dum hoc modo uocabulum enarrant 'bulga est folliculus

omnis, quam et cruminam ueteres appellarunt et est sacculus ad bracchium pendens'. Q litteram in ordine alphabetico non agnoscit Nonius. Illud denique quod composuit caput XIII de genere nauigiorum mox spero fore ut illustretur emblemate uermiculato illo quod inuentum est Medeinae parietinis non procul a Nonii patria quae sitae sunt in Numidia, nunc asseruatur in Museo Tunesiano, de quo pauca passim publici iuris fecerunt ueluti in Darembergii et Saglionis Diction. d. antiq. s. u. horia fig. 3881 apud Vahlenum ad Ennii annal. u. 478 in Catalogo Mus. Alaoui I Paris 1897 p. 32.

Atque Martinus Hertz postquam edocuit annal. philol. LXXXV 1862 p. 705 seqq. et p. 779 seqq. quomodo Nonius usus fuerit Gellio, Alexander Riese in Symbol. philol. Bonn. II Lips. 1867 p. 482 seqq. nonnulla recte de compositione operis Noniani statuit, ueluti ordines scriptorum eorundem eodem semper fere procedere ordine obseruauit. Qui scholiis scriptorum suspicatus est Nonium uti, unde opus suum auxerit (p. 484. 485), tabulam denique proposuit p. 486, cuius opera lectori patefieret grammatici ratio. Eodem in libro p. 809 seqq. eandem quaestionem suscepit tractandam Alfredus Schottmueller magno cum fructu qui p. 827 demonstrauerit etiam in singulis glossis siue lemmatis eundem redire ordinem scriptorum, quem omnino in tota serie scriptorum accurate secutus sit. Denique p. 831 adfirmat singula saturarum Varronis fragmenta quo ordine in Nonii codice quem adhibuerit sese exceperint facili opera posse demonstrari. Rem a Ritschelii discipulis duobus bene et prospere inchoatam ab ordine philosophorum uniuersitatis Vratislauiensis cum publice proponeretur quaestio de compositione et auctoribus operis Noniani pertractandam suscepit Paulus Schmidt Martini Hertzii et Francisci Buecheleri discipulus, cuius opusculum 'de Nonii Marcelli auctoribus grammaticis' prodiit ex officina Teubneri Lipsiae 1868. Qui de sua opella summa loquitur modestia, in auctoribus Nonii indagandis operam et oleum mihi uidetur perdidisse, de compositione operis indaganda tamen optime meruit usus Riesei et Schottmuelleri feliciter inuentis. Veluti p. 5 haec proposuit uir doctus: 'in uniuersum igitur negari nequit Nonium testimonia eo plerumque ordine proferre, quo apud ipsos scriptores

inueniuntur. quod quidem quamquam numeris appictis demonstrare in omnibus ordinibus nequimus, licet tamen suspicari eandem exempla quaerendi rationem in eis quoque libris citandis Marcellum adhibuisse, qui temporum inuidia ad nostram memoriam non peruenerunt. quam quidem suspicionem ea potissimum re confirmari arbitror, quod ubicumque extant ordines saturarum Varronianarum siue Attii, Pomponii, Afranii fabularum, eiusdem siue saturae siue fabulae testimonia semper uideo iuxta collocata uelut ... p. 45, 32 ... Idem uero cadit sine dubio in ordines eos, qui testimoniis depromptis e prosae orationis scriptoribus efficiuntur, ut, ubicumque ex eodem libro adferuntur exempla, ea eodem ordine sese excipiant, quo apud ipsum scriptorem fuerunt. neque enim dubito quin e. g. in breui illa serie (p. 141, 22 ...) exemplorum Sisennianorum eodem ordine sese excipiant testimonia, quo in Sisennae libro historiarum tertio legebantur'.

Atque de omnibus scriptoribus quos Nonii operae excerpserunt agere meum non est: nos tantummodo de Lucilii reliquiis par est sententiam ferre. Qua in re oblocutus est statim in praefatione Lucilii p. XIX seq. Lucianus Mueller illi quam modo Schmidtius l. s. s. protulerat sententiae his uerbis: 'Fuere nuper qui adfirmarent saepe in lemmatum principalibus exemplis ex eodem petitis auctore, ubi continuo ordine aut paruo interuallo se sequantur, interdum etiam hac condicione ut casu aliquo ex primo loco sint delata in alterum, Nonium sequi eum ordinem scriptorum, qui in exemplaribus eorum olim fuerit. quae obseruatio ut ex magna parte haud dubia nec inscita neque inutilis, tamen non ita multum profuit nobis ad legitimum, qui olim optinuit apud Lucilium, uerborum ordinem recuperandum. nam ut omittam ad caput quartum ... si modo omnino, multo certe minus pertinere hunc lemmatum principalium usum, non semper stricte normam quam supra dixi obseruari maxime apparet ex Vergilianis exemplis, quae haud raro alio prorsus quam quem modo indicaui procedunt ordine ... praeterea quid lucramur, ut constet certo hos uersus uel illos in continuis saturis uel adeo in eadem antiquitus fuisse positos, cum ne unius quidem carminis ordinem priscum

iam liceat nobis restituere cumque diuersarum singulorum uoluminum saturarum neque numerum neque seriem possimus recuperare. itaque si quid profecimus in Lucilii fragmentis apte concinnandis, id magis regina illa ac domina rerum ratione, quam extrinsecus ductis signis praestitimus'. In quibus ea certe quae extremo loco commendatur ratio cum aperte ratione careat abicienda est: magni enim momenti esse exhiberi reliquias poetae eo ordine quo in Nonii Lucilio erant positae facile apparet. Sed quae Muellerus conqueritur de turbis quae extiterint in Nonii opere et de ordinis perturbationibus, hoc recte dixit. Immo credere nullo loco in tanto tamque uario opere ordinem excerptorum fuisse perturbatum desipere est. Neque quicquam nos proficimus coniecturis illis quibus Schottmuellerus Schmidtius alii ordinem ubi corruptus est uoluerunt restituere quas refutat Muellerus l. s. s. neque adnotationibus in margine inferiore positis quibus similiter huic rei operam nauauit Lindsayus qui nuper Schmidtii et Schottmuelleri studia strenue redintegrauit in libro Nonius Marcellus' dictionary of republican Latin Oxford 1901 p. 11—35, 37—78, 82—88. Neque credi potest quod idem uir doctus suspicatus est de Nonio medio aeuo ab abbate quodam retractato (p. 2). Veluti Gellium plerumque ordine singulorum librorum recto seruato exscripsit Nonius: tamen p. 50, 16 seqq. Gellii caput lib. II 22 cum excerpit, hoc modo deinceps collocat Gellii paragraphos: 7. 14. 20. 9. Praeterea praeter Plautum, cuius XXI fabulas adhibuit Vidularia loco ultimo posita (p. 123 extr. 468 extr.), in nullo poeta scaenico certo agnoscimus ordinem alphabeticum. Tum in omnibus scriptoribus considerandum est utrum prorsus progrediens an retrouersus cedens uerba ponat grammaticus: quod ne in Lucilio quidem cum considerauerit Lindsayus Mus. Rhen. LVII 1902 p. 196 seqq., omnia quae l. s. constituit, de integro erunt tractanda. Denique quod Schottmuellerus l. s. p. 825. 831 Schmidtius p. 35 statuunt commentarios scriptorum a Nonio esse adhibitos, contra Lindsayus p. 100 statuit lemmata Nonii ducta esse e libris ipsis scriptorum breuibus scholiis marginalibus exornatis, non e meris commentariis, non uideo quid intersit: qui hodie codices Venetos Iliadis illustres adhibet, is et poetae

uerba adhibet et commentarium neque diuersa erat Nonii aetate ratio commentariorum.

Atque Nonius quomodo opus suum composuerit si quaeris apte respondeat quis eodem modo illum hoc munere functum esse, quo paterfamilias Catone de agri cult. 76 doctore placentam concinnauerit. Primum solum substernit, tum singula tracta imponit, id est singulas strues farinae subactae, postremo opus totum melle unguit. Veluti ut a nouissima opera exordiar, capp. II—IV postquam concinnauit Nonius, tum tamquam mellis guttas uersiculos Horatii superfudit operi perfecto. Erant in Nonii bybliotheca carminum libri IV sermonum duo hoc ordine collocati: ea uolumina seruulus ab initio ad finem perlustrauit, notas criticas singulis locis apposuit. Quo facto sex illa uolumina ita erant comparata, ut singula circum umbilicum sinistrum quem dicimus conuoluta non potuerint adhiberi, nisi denuo seruulus omnia sex reuolueret, quo facto in pristinum ordinem erant restituta. Quo labore commode supersedebat Nonii seruus ita ut ultimum uolumen primum replicando ab umbilico dextro exorsus sic deinceps singulos locos Horatii adpingeret capp. II—IV operis Noniani, ut ordine inuerso hodie legantur: idem fecit in Lucilio quem a XXX ad XXVI librum regrediens ordine fere semper adhibuit, idem nonnumquam in Lucilii libris I—XX Ciceronis epistulis et Academicis. Quae res non insani stupidi inepti erat hominis, sed parcentis uiribus et tempori· et commode sicuti fecimus rei librariae condicione et ratione potest explicari. Quare factum est ut ordine legitimo uersus Horatii omnes sese excipiant, hoc modo:

Non. cap. II	p. 120, 5	hallec	~	Horat.	serm.	II	4, 73
„ „ „	p. 134, 23	ligurrire	~	„	„	I	3, 81
„ „ III	p. 196, 31	clunes	~	„	„	I	2, 89
„ „ „	p. 203, 29	diluuiem	~	„	carm.	IV	14, 28
„ „ IV	p. 255, 18	crepare	~	„	„	I	18, 5

Vnde apparet inuerso ordine eiusdem saturarum libri I afferri fragmenta: idem in Lucilii saturis usu uenire postea apparebit. Sed non semper casu prospero factum est, ut tam aperte Nonii ratio cognoscatur ex ordine excerptorum. Veluti Academicorum posteriorum lib. IV et III eadem ratione per-

lustrauit seruus, excerpta prima addidit exitui cap. I et cap. II principio, hoc modo:

Non. cap. I p. 65, 24 Maeniana ~ Cic. Acad. II 70 (post. IV)
„ „ II p. 69, 11 adstipulari ~ „ „ II 67 (post. IV)
„ „ II p. 117, 10 gallinas ~ „ „ II 57 (post. III)
„ „ II p. 139, 32 mordicus ~ „ „ II 51 (post. III)

Sed in reliquis lib. IV Academicorum locis bis prorsus, tum bis retrorsus cedunt excerpta, quae tamen aliis capitibus praeter I et II non apposuit: ultimum enim libri IV excerptum legitur apud Non. p. 189, 12 in exitu cap. II.

Caput porro IV solum exornari iussit Nonius excerptis e Ciceronis epistularum libro ad senatum petitis, quod uolumen in bybliotheca eius erat in serie uoluminum primum, in nostrorum codicum archetypo legebatur liber XV sicuti nunc uulgo legitur, hoc modo:

Non. cap. IV p. 259, 24 ~ Cic. epist. XV 14, 5
„ „ „ p. 264, 33 ~ „ „ XV 4, 2
„ „ „ p. 273, 31 ~ „ „ XV 3, 2
„ „ „ p. 274, 3 ~ „ „ XV 2, 2

Tum de integro excerpta ex ultima huius libri quam tractauit epistula duo item posuit ordine inuerso:

Non. cap. IV p. 278, 5 ~ Cic. epist. XV 16, 3
(M. Tullius ad Cassium lib. I)
Non. cap. IV p. 291, 9 ~ Cic. epist. XV 16, 1

Neque enim casu factum est quod ad ultimum omnium huius libri excerptorum Nonius addidit p. 278, 5 'M. Tullius ad Cassium lib. I', cum 'lib. I' in reliquis locis omiserit omnibus.

Iam tempus est de Lucilii uersibus exponere de quibus ut recte iudicemus Schottmuelleri uti licebit distinctione qui semper libros I—XXII uidit adferri hoc modo 'Lucilius satyrarum lib. I' et sic deinceps, contra libros XXVI—XXX tantummodo 'Lucilius lib. XXVI' et sic usque ad lib. XXX. Omittendi igitur erunt omnes loci ubi legitur ueluti 'Lucilius lib. I' et 'Lucilius' omissa libri nota, quippe qui uersus e grammaticorum libris sint sumpti: ueluti p. 134, 31 s. u. Lauerna una legitur 'Lucilius lib. XVII (u. 549)' cum uersu

Plauti Cornicullariae quam fabulam Plautinum Nonii exemplar non habebat, 139, 5 'Lucilius lib. VII' (u. 294) una cum uersu Attae ex Aquis Caldis fabula, quales locos omnes debuit Nonius libro grammatico, qualis fuit Gellii opus Noctium Atticarum. Neque negandum est hic illic fieri posse ut uersus quos introduxit uerbis 'Lucilius satyrarum lib. I' uel 'Lucilius lib. XXVI' sumpti sint e grammatico, qui eodem modo quo Nonii operae Lucilium attulerit. Quibus omnibus in quaestionibus hac ratione utemur, ut eis locis, quibus recto numero librorum ordo fragmentorum procedat, hac ipsa fruamur commoditate, ita ut aut progrediente ordine utamur in disponendis singulis singulorum librorum fragmentis, aut retro cedente, nempe eodem, quem in libris ipsis usu uenire apparet. Qui ordo ubicumque erit seruatus, tum Nonium Lucilii exemplari ipso uti manifestum erit. Denique ubicumque enarrationes uocabulorum nimis erunt absurdae, ibi mancipiorum deprendimus operam domus Nonianae, ubi doctrinam quandam agnoscas in glossematis, ibi grammatici alicuius labor praesto est et studium. Veluti p. 98, 19 ubi legitur 'demagis, ualde magis. Lucilius lib. XVI' (u. 527), ea duabus istis de causis e grammatico sumpta esse patet. At p. 186, 29 quae legimus ridentes: 'uiriatum, dictum est magnarum uirium. Lucilius lib. XXVI', haec Nonii furcifer adnotauit sua Minerua: nouit enim Numida uocabulum proprie Afrum *uiriosus* (Tertull. de anim. cap. 19 p. 330, 27 edit. Vindob. aduers. Valentin. cap. 16 extr. Thesaur. gloss. emend. s. u. uiriosus), cuius simile esse putabat barbarus illud *uiriatus* Lucilii. Quod etymologiam nominis apposuit, id non magis mirabile est quam quod Seruius ad Verg. eclog. IX 60 adscribit 'dictus autem Bianor est, quasi animo et corpore fortissimus'.

Atque de libri primi compositione Schottmuelleri tabulam p. 811—814 Schmidtii p. 13 secuti statuemus tamquam operis solum et fundamentum esse inde a p. 1—20: p. 1—3 grammaticus ignotus, p. 3—13 Plauti fabulae XXI, p. 13—14 Lucretius, p. 14—16 Accius, p. 17—20 Pomponius. His primum superaddidit primum tractum siue primam struicem e Lucilii libris I—XXI, tum alteram struicem e Varronis saturis Me-

nippeis, quo de ordine constat p. 4 s. u. *tolutim* et *capulum*, p. 5 s. u. cinaedi, p. 17 s. u. *gradarius*, p. 18 s. u. *rutrum* aliis locis, post deinde alia addidit, ueluti e Lucilii libris XXVI —XXX: ueluti p. 10 s. u. *inlex* primo loco ponitur *Plautus Persa*, sequitur *Lucilius satyrarum lib. II*, tum *Varro Sciamachia περὶ τύφου*, denique *Lucilius lib. XXX*: conf p. 78 s. u. bulga. Sicuti in Horatii et in Ciceronis locis fieri supra uidimus, eodem modo etiam hic uidebimus modo V, modo IV, modo II locos inuerso poni ordine: quod idem in Varronis saturis usu uenire probabilissimum erit. Neque alio modo factum esse in eiusdem libri singulis fragmentis patet e Nonii p. 402, 6 seqq. ubi legitur (uide infra p. CII seq.):

p. 402, 6	Lucilius lib. XXX	quid sibi uult . . .
p. 403, 25	Lucilius lib. XXVIII	pueri praeterea . . .
p. 405, 11	Lucilius lib. XXVIIII	sic Socrates
p. 405, 16	Lucilius lib. XXVIIII	nam ut discrimen
p. 406, 23	Lucilius lib. XXVI⟨III⟩	at cui quem (*senarius*)
p. 407, 2	Lucilius lib. XXVIII	tantis
p. 407, 30	Lucilius lib. XXVII	iam qua
p. 408,9	Lucilius lib. XXX	sed quid ego
p. 408, 24	Lucilius lib. XXVI	numquam prius

Quo loco constat de ordine librorum inuerso: item constat de ordine singulorum eiusdem libri fragmentorum. Nam recte coniunxit Lachmannus fragmenta illa lib. XXIX hoc modo:

830 et amabat omnes. nam ut discrimen non facit
neque signat linea alba ⟨*in albo marmore*⟩,
sic Socrates in amore et in adulescentulis
meliore paulo facie: signat nihil que*m* am[ar]et.

Neque tamen ita ineptus erat Nonius, ut eiusdem uersus uerba praepostero ordine collocaret; qua de re certiores nos fieri licet p. 37, 19, quo loco de inuerso ordine librorum constat:

p. 37, 21 inpertire est participare . . . Lucilius lib. XXVII 'quibus potest inpertit' . . .

p. 37, 28 sedulo significat sine dolo. Lucilius lib. XXVII 'salute et fictis uersibus Lucilius quibus potest inpertit totumque hoc studiose et sedulo'.

Itaque tabulis sequentibus omnes Lucilii uersus e poeta ipso sumptos proponendos curaui, quo magis de ordine constet: qui ubi inuersus est retroque cedit, rectis litteris expressa erunt uerba, ubi prouersus cedit, inclinatis. Hoc raro, illud saepissime fieri planum est. Prima in columna sed initio tantummodo posuimus lemmata exempli gratia principalia quae fundamentum nominamus: altera tractum prius, tertio loco collocatum est tractum posterius; quae tracta ubi distenta sunt Varronis saturis (p. 10. 78) res plana est. Vbi singuli loci et soli positi sunt, malui statuere esse ea posterius secundo uel tertio loco addita, quam principalia siue fundamentum.

Atque errare nos in his ordinibus constituendis frequenter posse apparet: ueluti p. 81—87M concedendum est nos erraturos fuisse, si non idem lib. XXX fragmentum bis positum esset. Sed uel speciem ueritatis sectari arbitror conuenire eo magis, quod in ordine fragmentorum librorum singulorum si haec Nonii uestigia non sequemur, nihil omnino habebimus quod rectius erit sequi in uersibus disponendis; itaque uel si errabimus, error non tantus erit, ut obiciat iure aliquis satius esse temere collocare fragmenta quam ordinem sequi Nonii. Addidimus igitur signa uersibus uaria litterarum in editione, quae in hac tabula facile licet reperire et agnoscere: ueluti a— significat primum cuiusque ordinis fragmentum, —b—, —c— media, —d ultimum. Vbi ordo nullus comparet, signum †† posui in tabella: quod nonnisi quattuor locis inuenitur ueluti in pag. ultima 555, praeterea 173. 271. 396. In uniuscuiusque ordinis fine posui —·— tamquam paragraphum. Primum alterum seruum litteratum opus Nonii iactis fundamentis auxisse excerptis e Lucilii l. I—XX et XXII, postea alterum accessisse et addidisse excerpta ex lib. XXX—XXVI consentaneum est. Qui praesto habebant uolumina ipsa quae modo prorsus modo retrorsus percurrentes uersus Lucilii addebant nil curantes neque capitum fines neque singularum litterarum in ordine alphabetico: quod et supra p. LXXXIII seq.

exposuimus et passim in tabula licet animaduertere. Reuera excerptorem lib. XXVI—XXX e Lucilio ipso sua sumpsisse statim initio ex eo licet cernere, quod primum exemplum p. 10 inducit ita *Lucilius lib. XXX*, alterum p. 18 *Lucilius XXVI*, tertium p. 21 *Lucilius satyrarum lib. XXVII*, inde a quarto p. 23 *Lucilius lib. XXVI* demum scit, quo modo ista fragmenta sibi adferenda sint, cum antea dubitet. Quae res sane demonstrat exscribere eum non grammaticorum libros, sed Lucilii exemplar ipsius.

Merceri pag.	fundamentum	strues prior	strues posterior
2	grammaticus ignotus	Lucil. s. l. XV	
4	Plauti —	Lucil. s. l. VIII	
		Lucil. s. l. II	
5		Lucil. s. l. I	
7	— fabulae —	Lucil. s. l. XVII	
8		Lucil. s. l. XI	
10		Lucil. s. l. II c	Lucil. l. XXX
11		Lucil. s. l. II b	
		Lucil. s. l.*) II a	
12	— XXI	Lucil. s. l. XVIIII	
13	Lucretius	Lucil. s. l. V	
16	Accius	Lucil. s. l. IV (idem l. XV)	
17. 18	Pomponius	Lucil. s. l. XIV	Lucil. XXVI**)
		Lucil. s. l. XI	
		Lucil s. l. VIIII	
		Lucil. s. l. XIV (idem lib. XX)	
19	Pomponius	Lucil. s. l. VII (idem lib. VIIII)	
21	iam altera i. e. prior	*Lucil. s. l. III* a	***)Lucil. satyrar. l. XXVII

*) Codd Nonii: V: sed Donatus hunc u. adfert recte e lib. II.

**) Codd omittunt *libro*.

***) Hoc solo loco praeter morem Nonii additur genetiuus.

Merceri pag.	fundamentum	strues prior	strues posterior
	strues Luciliana continuatur tamquam fundamentum, sicuti inde a p. 33 posterior strues Luciliana: et sic deinceps per totum librum	*Lucil. s. l. III* b	
		Lucil. s. l. VI	
		Lucil. s. l. VII A	
		Lucil. s. l. VII B	
22		*Lucil. s. l. VII* C.	
		Lucil s. l. XV	
		Lucil. s. l. XV*)	
		Lucil. s. l. XI	
23		Lucil. s. l. VII	Lucil. l. XXVI
24			Lucil. l. XXVIIII
25			Lucil. l. XXVIII
		Lucil. s. l. II	
		Lucil. s. l. III	
		Lucil. s. l. XVII	
26		*Lucil. s. l. XVII*	
27			Lucil. l. XXVII
			Lucil. l. XXVIIII
29			Lucil. l. XXVII y
			Lucil. l. XXVII x
30			Lucil. l. XXVIIII Y
31			Lucil. l. XXVIIII X
		Lucil. s. l. I	Lucil. l. XXVIII
33			Lucil. l. XXX VII
34			Lucil. l. XXX VI
35			Lucil. l. XXX V

*) Quae secuntur tria fragmenta ipsa nullis aliorum scriptorum locis interpositis inter se procedunt, ab antecedentibus tamen alienis interpositis diuulsa sunt. Quare de ordine duorum fragmentorum lib. XV non constat.

Merceri pag.	fundamentum	strues prior	strues posterior
			⟨Lucil. l. XXX⟩ IV
			Lucil. l. XXX III
			Lucil. l. XXX II
			Lucil. l. XXX I
36			Lucil. l. XXVIIII e
			Lucil. l. XXVIIII d
			Lucil. l. XXVIIII c
			Lucil. l. XXVIIII b
			Lucil. l. XXVIIII a
			Lucil. l. XXVIII b
37			Lucil. l. XXVIII a
			Lucil. l. XXVII d
			Lucil. l. XXVII c
			Lucil. l. XXVII b
			Lucil. l. XXVII a
38			Lucil. l. XXVI *G*
			Lucil. l. XXVI *F*
			Lucil. l. XXVI *E*
			Lucil. l. XXVI *D*
			Lucil. l. XXVI *C*
			Lucil. l. XXVI *B*
			Lucil. l. XXVI *A*
			— · —
65		*Lucil. s. l. II*	
68		*Lucil. s. l. VI* a	
Cap. II A			
74			Lucil. l. XXVIIII *b*
			Lucil. l. XXVIIII *a*
			Lucil. l. XXVIII
			Lucil. l. XXVII
			Lucil. l. XXVI *c*
			Lucil. l. XXVI *b*
B			
78		*Lucil. s. l. VI* b	Lucil. l. XXVI*a*
C		— · —	— · —
81		*Lucil. s. l. IV*	Lucil. l. XXX s
			Lucil. l. XXX r

Merceri pag.	fundamentum	strues prior	strues posterior
83			Lucil. l. XXX q*)
87			Lucil. l. XXX r
88			Lucil. l. XXVII γ
			Lucil. l. XXVII β
			Lucil. l. XXVII α
			Lucil. l. XXVI ε
			Lucil. l. XXVI δ
			Lucil. l. XXVI γ
			Lucil. l. XXVI β
D 95		*Lucil. s. l. VII*	
96			Lucil. l. XXVI α
			Lucil. l. XXX
97			Lucil. l. XXVIIII
			Lucil. l. XXVI n
			Lucil. l. XXVI m
E 102		*Lucil. s. l. II* m	
		Lucil. s. l. II n	
		(idem VII)	
103			Lucil. l. XXVI l
			Lucil. l. XXVI k
F 110			Lucil. l. XXVI i
			Lucil. l. XXVIIII
			Lucil. l. XXVI N
G 117		*Lucil s. l. I*	
			Lucil. l. XXVI M
118			Lucil. l. XXX Cc
			Lucil. l. XXX Bb
H 121			Lucil. l. XXX Aa
			Lucil. l. XXVIII

*) Haec tria fragmenta seorsum esse ponenda efficitur iteratione fragmenti XXX r.

Merceri pag.	fundamentum	strues prior	strues posterior
I			
123		*Lucil. s. l. III*	
		(idem lib. XV)	
125			Lucil. l. XXX *γγγ*
		Lucil. s. l. VI	Lucil. l. XXX *βββ*
		— · —	Lucil. l. XXVI *μ*
126			Lucil. l. XXVI *λ*
LM			— · —
137			Lucil. l. XXX
138			Lucil. l. XXVII
			Lucil. l. XXVI *II*
			Lucil. l. XXVI *I*
			— · —
140			Lucil. l. XXX *ψ*
N			
143			Lucil. l. XXX *χ*
144			Lucil. l. XXX *φ*
OP			
153			Lucil. l. XXVIIII
			— · —
157			Lucil. l. XXX
158		*Lucil. s. l. I*	
			Lucil. l. XXVI
		Lucil. s. l. IV	— · —
159		*Lucil. s. l. V*	
		— · —	
		Lucil. s. l. I A	
		Lucil. s. l. I B	
		Lucil. s. l. VI	
		— · —	
160			Lucil. l. XXX *βββ*
			Lucil. l. XXX *ααα*
R			
164		*Lucil. s. l. III*	
165			Lucil. l. XXVI B
			idemque: A
			— · —
166		*Lucil. s. l. VIIII*	
S		— · —	
171			Lucil. l. XXVIIII *ν*
172			Lucil. l. XXVIIII *μ*
173		*Lucil. s. l. III* ††	— · —
		(idem lib. V)	
		— · —	Lucil. l. XXX C

Merceri pag.	fundamentum	strues prior	strues posterior
174		*Lucil. s. l. I*	
175			Lucil. l. XXX B
			Lucil. l. XXX A
			Lucil. l. XXVIII bb
			Lucil. l. XXVIII aa
T			
180			Lucil. l. XXX m
181		*Lucil. s. l. VI*	Lucil. l. XXX l
		(idem lib. XI)	
V			
183			Lucil. l. XXVI
184		*Lucil. s. l. XIIII*	
186			Lucil. l. XXVIIII
			Lucil. l. XXVI III
			Lucil. l. XXVI II
Cap. III A			
191			Lucil. l. XXVI I
B C			
195			Lucil. l. XXVIIII
196			Lucil. l. XXVII
200		Lucil. s. l. VII	*idem l. XXVII*
201		Lucil. s. l. V	
		(idem l. XVI)	
		Lucil. s. l. V	
		Lucil. s. l. XVI	
		Lucil. s. l. XX	
D E			
204		Lucil. s. l. XIII	
F			
206			*Lucil. l. XXVIII*
		et lib. IV (?)	
G			
207		Lucil. s. l. IV	
I			
209		*Lucil. s. l. V*	*idem XXX*
L			
210		*Lucil. s. l. XXII*	
M			
212		*Lucil. s. l. VIII*	
213		*Lucil. s. l. XV*	
			Lucil. l. XXVII

Merceri pag.	fundamentum	strues prior	strues posterior
N			
214			Lucil. l. XXVI
O			— · —
216		*Lucil. s. l. III*	
		Lucil. s. l. VIIII	
		(idem lib. XIII)	
P		— · —	
217		Lucil. s. l. III	
218		Lucil. s. l. II	
		— · —	
219		*Lucil. s. l. X*	
220			Lucil. l. XXVIIII n
RS			
225			Lucil. l. XXVIIII m
226			Lucil. l. XXVI
			— · —
			Lucil. l. XXVIII
T			
227		*Lucil. s. l. XI*	
V		— · —	
230		Lucil. s. l. XIIII	
231		Lucil. s. l. IV	
Cap. IV A		— · —	
233			*Lucil. l. XXX*
			— · —
234			*Lucil. l. XXVIIII*
235		Lucil. s. l. X	*Lucil. l. XXX*
		(idem lib. XVI)	— · —
		Lucil. s. l. V	
237			Lucil. l. XXVIII
			Lucil. l. XXVII
			— · —
238			Lucil. l. XXVIIII
			(idem l. XXVII)
			Lucil. l. XXVII
			— · —
			Lucil. l. XXVI
239			*Lucil. l. XXVIII*
			— · —
240			Lucil. l. XXX
			Lucil. l. XXVIIII
243			Lucil. l. XXVI
			— · —
245			Lucil. l. XXVIIII ψ
			Lucil. l. XXVIIII χ

Merceri pag.	fundamentum	strues prior	strues posterior
B			
248			Lucil. l. XXVIIII φ
C			
			Lucil. l. XXVIII n
249			Lucil. l. XXVIII m
			(idem l. XXVI)*)
			Lucil. l. XXX
250			Lucil. l. XXVI
			Lucil. l. XXX
			Lucil. l. XXVIII
252			Lucil. l. XXVIIII
253			Lucil. l. XXVI
			Lucil. l. XXVII
254			Lucil. l. XXVI 𝒯
255			Lucil. l. XXVI 𝒯
257		Lucil. s. l. IV	
258		Lucil. s. l. VII	
		(calx)*)	
		Lucil. s. l. I	
		(idem lib. VII)	
260		Lucil. s. l. VIII	
		(idem in eodem)**)	
261		Lucil. s. l. V	
		(idem lib. XIII)	
		Lucil. s. l. II	
262		⟨*Lucil. s. l. I uel II*⟩	
		(idem lib. X)	
264			Lucil. l. XXX
265			Lucil. l. XXVI
266			Lucil. l. XXX*)

*) Transpositiones a Quicheratio et Muellero factas non curandas duxi in hac quaestione.

**) De ordine non constare posse patet.

Merceri pag.	fundamentum	strues prior	strues posterior
268			Lucil. l. XXVI
			— · —
			Lucil. l. XXVIII
269			Lucil. l. XXVI
			— · —
			Lucil. l. XXX
		concedere	Lucil. l. XXVIIII
270			Lucil. l. XXVII
			— · —
271		conuenire	Lucil. l. XXVIIII ††
			— · —
272			*Lucil. l. XXVII*
		caedere	*Lucil. l. XXVIIII*
			Lucil. l. XXX
			— · —
		constat	Lucil. l. XXVI ϱ
			Lucil. l. XXVI π
			— · —
273			Lucil. l. XXX e
274			Lucil. l. XXX d
			Lucil. l. XXVIIII
			— · —
			Lucil. l. XXX b
275			Lucil. l. XXX a
			Lucil. l. XXVII⟨II⟩
			Lucil. l. XXVIII
			Lucil. l. XXVII *C*
			Lucil. l. XXVII *B*
			Lucil. l. XXVI⟨I⟩ *A*
			— · —
D 276		Lucil. s. l. XI	
277			Lucil. l. XXX w
278			Lucil. l. XXX v
			Lucil. l. XXVIIII
			— · —
279			Lucil. l. XXX
			et lib. XXVIII*)
		Lucil. s. l. III	
		— · —	
280			Lucil. l. XXVIII

*) Vide adnotat. p. XCV.

Merceri pag.	fundamentum	strues prior	strues posterior
281			Lucil. l. XXVI
			— · —
		Lucil. s. l. VI	
		(idem lib. XIII)	
282			*Lucil. l. XXVIIII*
283			*Lucil. l. XXX*
			— · —
			⟨*Lucil. l. XXVI*⟩
284			*Lucil. l. XXVIIII*
			Lucil. l. XXX M
			Lucil. l. XXX N
			— · —
285			*Lucil. l. XXVII*
			Lucil. l. XXX
			— · —
286			*Lucil. l. XXVII*
287			*Lucil. l. XXVIIII*
			Lucil. l. XXX (?)
			Lucil. l. XXX (?)
			— · —
288			Lucil. l. XXVIIII aγ
			Lucil. l. XXVII⟨II⟩ aβ
289			Lucil. l. XXVIIII aα
			Lucil. l. XXVII
			— · —
			Lucil. l. XXX
			Lucil. l. XXVIIII III
			Lucil. l. XXVIIII II
290			Lucil. l. XXVIIII I
E			— · —
291			*Lucil. l. XXVI*
			Lucil. l. XXVIIII
		Lucil. s. l. II	
		— · —	
292			*Lucil. l. XXX*
			— · —
293			*Lucil. l. XXVI* (632)
294			*Lucil. l. XXVI* (640)
			Lucil. l. XXVIIII
			— · —

Merceri pag.	fundamentum	strues prior	strues posterior
296			Lucil. l. XXX
			Lucil. l. XXVIII
			Lucil. l. XXVII
297			Lucil. l. XXVI $\chi\chi$
			Lucil. l. XXVI $\varphi\varphi$
			Lucil. l. $\overline{\text{XXX}}$
			Lucil. l. XXVI
298			*Lucil. l. XXVIIII*
			Lucil. l. XXX
300			*Lucil. l. XXVIIII* η
			Lucil. l. XXVIIII)* ϑ
			Lucil. l. XXX
301			Lucil. l. XXVIIII
			Lucil. l. XXVII B
			Lucil. l. XXVII A
F 302			*Lucil. l. XXVII*
303			*Lucil. l. XXVIIII*
			Lucil. l. XXX AA
			Lucil. l. XXX BB
305. 306		Lucil. s. l. XI	*Lucil. l. XXX CC*
308		⟨Lucil. s. l. VIII⟩	
			Lucil. l. XXVII
			Lucil. l. XXVIII
311			*Lucil. l. XXVIIII* $\alpha\alpha$
313			*Lucil. l. XXVIIII* $\beta\beta$
			Lucil. l. XXVIIII $\gamma\gamma$
G 315			*Lucil. l. XXVIIII* $\delta\delta$
317			Lucil. l. $\overline{\text{XXX}}$
H			Lucil. l. XXVIIII
318			*Lucil. l. XXVIII*
			Lucil. l. XXVIIII

*) Vide adnot. p. XCV.

Merceri pag.	fundamentum	strues prior	strues posterior
319			*Lucil. l.* XXX F
320			*Lucil. l.* XXX G
			Lucil. l. XXVII
I 321			*Lucil. l.* XXX X
			Lucil. l. XXX Ψ
323			*Lucil. l.* XXX Ω
324		Lucil. s. l. VI	
			Lucil. l. XXVI
325			*Lucil. l.* XXVIIII
326			*Lucil. l.* XXX ρ
327			*Lucil. l.* XXX σ
			Lucil. l. XXX τ
			Lucil. l. XXVI
328			*Lucil. l.* ⟨X⟩XVIII
330			Lucil. l. XXX
			Lucil. l. XXVIIII
			Lucil. l. XXVII
			Lucil. l. XXVI
			Lucil. l. XXX
			Lucil. l. XXVIIII β
			Lucil. l. XXVIIII α
			Lucil. l. XXVIII σ
			Lucil. l. XXVIII ρ
331			Lucil. l. XXVIII π
			Lucil. l. XXVII
L 332			*Lucil. l.* XXVIII
335		Lucil. s. l. II	*Lucil. l.* XXX
337			*Lucil. l.* XXVI
338		Lucil. s. l. XI	
339			*Lucil. l.* XXVIIII
340			*Lucil. l.* XXX
			Lucil. l. XXVIII⟨I⟩
341			*Lucil. l.* XXX

Merceri pag.	fundamentum	strues prior	strues posterior
M		Lucil. s. l. V	
343			Lucil. l. XXX hh
344		Lucil. s. l. XV (idem lib. XI)*)	Lucil. l. XXX gg
348			Lucil. l. XXX ff
			Lucil. l. XXX ee
350			Lucil. l. XXX dd
			Lucil. l. XXX cc
			Lucil. l. XXX bb
			Lucil. l. XXX aa
			Lucil. l. XXVIIII w
			Lucil. l. XXVIIII v
351			Lucil l. XXVI *I*
			Lucil. l. XXVI *H*
			Lucil. l. XXVI *G*
N		Lucil. s. l. VII	
352			Lucil. l. XXVIIII
353			Lucil. l. XXVI
354			Lucil. l. XXX
O 357			Lucil. l. XXVIIII 𝔅
358		Lucil. s. l. XVIIII B	
		Lucil. s. l. XVIIII A	
			Lucil. l. XXVIIII 𝔄
			Lucil. l. XXVII
359			Lucil. l. XXVI
360			Lucil. l. XXVII
			Lucil. l. XXVI
			Lucil. l. XXVIIII 𝔑
			Lucil. l. XXVIIII 𝔐

*) Hoc loco sequitur numerus minor praeposito *idem* pronomine maiorem numerum, quod praeterea accidit p. 519 M, alias nusquam in hac columna.

Merceri pag.	fundamentum	strues prior	strues posterior
P			
362		Lucil. s. l. XVII	Lucil. l. XXVII
363		Lucil. s. l. VI	
		(idem lib. XII)	
		Lucil. s. l. V B	
364			Lucil. l. XXVIIII G
			Lucil. l. XXVIIII F
365			Lucil. l. XXVIII
366			Lucil. l. XXX
			Lucil. l. XXVI
			Lucil. l. XXVII
367			Lucil. l. XXVI
368			*Lucil. l. XXVII*
369			*Lucil. l. XXVIIII*
370			Lucil. l. XXX
371			Lucil. l. XXVII
			Lucil. l. XXVII(?)
			Lucil. l. XXX
372			Lucil. l. XXVI
			Lucil. l. XXVIIII
			Lucil. l. XXVI
373			Lucil. l. XXX
374			Lucil. l. XXVII
R			
379			*Lucil. l. XXVIII*
380			*Lucil. l. XXX*
381			Lucil. l. XXVIIII
			Lucil. l. XXVI
382			*Lucil. l. XXVIIII*
			Lucil. l. XXX
			idem l. XXVII
			Lucil. l. XXVI
383			Lucil. l. XXVII⟨II⟩ T

Merceri pag.	fundamentum	strues prior	strues posterior
383			Lucil. l. XXVIIII S
384			Lucil. l. XXVIIII R
			Lucil. l. XXVIII
			Lucil. l. XXVII
s			— · —
385			Lucil. l. XXX M
			Lucil. l. XXX lM
387			Lucil. l. XXX k
388			Lucil. l. XXX i
			idem l. XXVI
			— · —
			Lucil. l. XXX
390			Lucil. l. XXVIII
			— · —
391			Lucil. l. XXVIIII
392		Lucil. s. l. V A	
393		Lucil. s. l. IV	
		— · —	
394		[Lucil. l. XI]	idem lib. XXVIII
			Lucil. l. XXVI
			— · —
395		Lucil. s. l. VII	
396			Lucil. l. XXVIII
			Lucil. l. XXVI
			— · —
	sumere,	Lucil. s. l. III	
		— · —	
	eligere	Lucil. s. l. X ††	
		(et lib. XVIIII)	
397		Lucil s. l. XV	
398		Lucil. s. l. XIII	
		Lucil. s. l. VII	
		— · —	
399			*Lucil. l. XXVIIII*
			Lucil. l. XXX
			— · —
401			Lucil. l. XXX
			Lucil. l. XXX
			Lucil. l. XXVI
			— · —
402			Lucil. l. XXX
403			Lucil. l. XXVIII
			— · —

Merceri pag.	fundamentum	strues prior	strues posterior
405			Lucil. l. ⟨X⟩XVIIII O
			Lucil. l. XXVIIII N
			Lucil. l. XXVIIII M
T 406			Lucil. l. XXVI
			Lucil. l. XXVIII
407			Lucil. l. XXVII
408			Lucil. l. XXX
			Lucil. l. XXVI
			Lucil. l. XXX *P*
409			Lucil. l. XXX *II*
410			Lucil. l. XXVIII
413			Lucil. l. XXX
414			Lucil. l. XXVIII B
			Lucil. l. XXVIII A
V 417			Lucil. l. XXVIIII ϱ
418			Lucil. l. XXVIIII π
420			Lucil. l. XXVII ϱ
			Lucil. l. XXVII π
			Lucil. l. XXX q
			Lucil. l. XXX p
Cap. V 422		Lŭcil. s. l. XVI	Lucil. l. XXVI b
425		Lucil. s. l. XIII (idem in eodem)	
427		*Lucil. s. l. I*	
		Lucil. s. l. IV	
		Lucil. s. l. VIII	
		Lucil. s. l. XX	
428		Lucil. s. l. VIIII	
436			Lucil. l. XXVI Ia
			Lucil. l. XXVIIII
437			Lucil. l. XXVI c
			Lucil. l. XXVI b
			Lucil. l. XXVI a

Merceri pag.	fundamentum	strues prior	strues posterior
Cap. VI			
455		Lucil. s. l. V. (idem lib. VIIII)	
456		*Lucil. s. l. III*	
457		*Lucil. s. l. IIII* a *(idem lib. VII)*	
458		*Lucil. s. l. IIII* b	
462			Lucil. l. XXX BB
			Lucil. l. XXX AA
			⟨Lucil.⟩ l. XXVII
Cap. VII			
472			Lucil. l. XXVIIII BB
			Lucil. l. XXVIIII AA
			Lucil. l. XXVII T
477		*Lucil. s. l. IIII* c *(idem lib. XIIII)*	
			Lucil. l. XXVII S
478			Lucil. l. XXX
			Lucil. l. XXVIII
481		*Lucil. s. l. XIIII*	
Cap. VIII			
484			Lucil. l. XXX
489		*Lucil. s. l. III* A	
		Lucil. s. l. III B	idem l. XXVIIII
		Lucil. s. l. VIII	
490		*Lucil. s. l. XV*	
		Lucil. s. l. XX	
491			Lucil. l. XXVI⟨II⟩*)
492			Lucil. l. XXVIII
493			Lucil. l. XXX γ
			Lucil. l. XXX β
			idem l. XXX α

*) Ita Muellerus cum senarius esse uideatur quem liber XXVI non capit.

Merceri pag.	funda-mentum	strues prior	strues posterior
Cap. VIIII			
495		⟨Lucil. s. (?) l. XVIII⟩*)	
496		Lucil. s. l. VII	Lucil. l. XXVIII *Bβ*
			idem *Aα*
497		Lucil. s. l. I	Lucil. l. XXVI ℭ
		(idem lib. V)	
498		Lucil. s. l. VI	
		(idem lib. VIII	
		idem lib. VIIII)	
499			Lucil. l. XXVI ℑ
500		Lucil. s. l. I	
		(idem lib. VI)	
502			Lucil. l. XXVI ℭ
Cap. X			
503		Lucil. s. l. VIIII	
505			Lucil. l. XXX
506		Lucil. s. l. VII	
		Lucil. s. l. XI	Lucil. l. XXVIII
Cap. XI			
512		Lucil. s. l. X	
		(idem lib. XII)	
513		*Lucil. s. l. XII*	
		(idem lib. XVI)	
		Lucil. s. l. XVI	
Cap. XII			
517		*Lucil. s. l. X*	
519		*Lucil. s. l. XIIII*	
		*(idem lib. XIII)***)	
521			Lucil. l. XXVI
		Lucil. s. l. I	
522			Lucil. l. XXX ℑ
523			Lucil. l. XXX ℭ
526			Lucil. l. XXVI

*) Lib. XVIII ipsum adhibuisse Nonius non uidetur.

**) Vide adnot. p. C.

Merceri pag.	fundamentum	strues prior	strues posterior
527			Lucil. l. XXVIIII
528			Lucil. l. XXVI
Cap. XIII			
533		*Lucil. s. l. XV*	
		Lucil. s. l. VIII (idem lib. XIV)	
Cap. XIIII			
536		Lucil. s. l. I (idem lib. XV)	
537		Lucil. s. l. XVII	
538		Lucil. s. l. XVI	
539		Lucil. s. l. II	
540		Lucil. s. l. I (idem lib. VI)	
Cap. XVIIII			
552		*Lucil. s. l. V*	
553		*Lucil. s. l. VII (idem lib. X)*	
555			Lucil. l. XXVIII ††

De libro XXX Lucilii

Neque tamen ex ordine fragmentorum lib. I—XXII permultum ad argumentum librorum singulorum recte constituendum licebit efficere: pauci enim uersus sunt quorum de ordine constat. At de lib. XXVI—XXX nonnulla magni sunt momenti, quae ordine fragmentorum recte constituto fiunt aperta. Veluti incipiam de lib. XXX. Agnoscuntur singularum saturarum argumenta haec. 1) Apologus de leone aegroto et de uulpecula u. 980 seqq. 2) de mulierum perfidia et dolis u. 990 seqq. 3) de Lucilii poesi cuius rationem auctor defendit u. 1008 seqq. 4) de laude uirginis pulcrae u. 1039 seqq. 5) cenae sordidae descriptio u. 1060 seqq. 6) Trogini cuiusdam ebriosi hominis fata in castris Numantinis u. 1069 seqq. Hanc fere ultimam saturam positam fuisse post cenae sordidae descriptionem indicatur ordine q— —r—; tum cenam sordidam illam narratam fuisse post saturam de mulierum uitiis efficitur ordine I— (II) —III—. Etiam saturam

de poesi Lucilii collocatam fuisse post apologum de leone aegroto apertum fit ordine —βββ— —γγγ et *AA*— —*BB*—, item post saturam de mulieribus ordine aa— —bb— —cc—. Denique uirginis illius laudes positas fuisse post saturam de poesi euincit ordo F— —G. Itaque eum quem supra posui ordinem argumenti lib. XXX commodissime restitui confidas, etiamsi etiam in hac re nonnulla uario modo posse ordinari in propatulo est.

De metris et argumento lib. XXIX

Grauiora sunt quae de metris et de argumento lib. XXIX ista ratione possunt euinci. Quo in libro haec deinceps agnoscuntur saturarum argumenta: 1) de cupiditate hominum u. 806seqq. 2a) de bello Hannibalico u. 823seqq. 2b) de domus expugnatione cum Gnatone facta u. 837seqq. 3) de amore meretricum et puerorum u. 857seqq. 4) de dispensatore improbo u. 879seqq. 5) de amicitia u. 902seqq. Praeterea metra tria in hoc libro uidemus esse adhibita haec: septenarios senarios hexametros; sed quaeritur quo ordine sese exceperint. Qua in quaestione primum statuendum erit quem fere ambitum numerumque uersuum unus habuerit liber Lucilii. Neque tamen alia ratione de hac re sententiam dicere poterimus, nisi collatis Horatii sermonum libris II et epistularum I, qui sunt uersuum 1022, 1072, 1006, id est fere pari magnitudine et comparata Nonii excerpendi ratione. Comparare possumus Vergilii Aeneidos libros quos pari studio Nonii seruus uidetur excerpsisse quo Lucilii libros XXX—XXVI: attulit igitur fere e

Vergilii	lib.	I	uersuum	756	locos	123
„	„	II	„	804	„	101
„	„	III	„	718	„	93
„	„	IIII	„	705	„	79
„	„	V	„	871	„	87

Tum e

Lucilii	lib.	XXX	locos	101
„	„	XXVIIII	„	83
„	„	XXVIII	„	44
„	„	XXVII	„	45
„	„	XXVI	„	75

Apparet igitur sicuti fieri solet et factum est in Aeneide,

primum librum maiore studio esse adhibitum, id est lib. XXX neque tamen in ultimo libro id est XXVI nimis cessasse laborem, cum in Aeneidos libris XI et XII uersuum 915 et 952 amplissimis omnium minimus sit numerus locorum quos exscripsit, i. e. 47 et 41. Itaque quotus quisque uersus seruatus sit in libris singulis Lucilii XXX—XXVI obscurum est: id uero e Vergilii comparatione fit probabile pari et aequa fere ratione librorum XXVI—XXX qui diuersa fuerint amplitudine partes fuisse adhibitas. Et alter excerptor libros I—VII Lucilii pari fere ratione adhibuit quod apertum fit his numeris quibus comparationis causa Lucretii locorum numeros adposui: attulit Nonius e

Lucretii	lib.	I	uersuum	1109	locos	14
„	„	II	„	1174	„	23
„	„	III	„	1092	„	18
„	„	IV	„	1279	„	16
„	„	V	„	1455	„	19
„	„	VI	„	1284	„	16

Simili ratione e

Lucilii	lib.	I	locos	14	Lucilii	lib.	XII	locos	3
„	„	II	„	13	„	„	XIII	„	9
„	„	III	„	13	„	„	XIV	„	8
„	„	IV	„	12	„	„	XV	„	13
„	„	V	„	14	„	„	XVI	„	6
„	„	VI	„	12	„	„	XVII	„	3
„	„	VII	„	17	„	„	XVIII	„	0
„	„	VIII	„	9	„	„	XVIIII	„	4
„	„	VIIII	„	9	„	„	XX	„	4
„	„	X	„	7	„	„	XXII	„	1
„	„	XI	„	8					

Itaque siquis coniciat hac inductus similitudine libros XXVI—XXX eadem fere fuisse amplitudine qua Vergilii libros Aeneidos, libros a sene poeta et magis loquaci quam antea erat inde a I usque ad XX conscriptos eadem qua Lucretii libros, equidem non repugnem, etiamsi pateat hanc argumentationem admodum esse incertam.

Iam de libris XXIX et XXVIII Lucilii accuratius erit agendum. E quibus seruati sunt apud Nonium

lib.		loci	lib.		loci
XXIX	septenarii	31	XXVIII	septenarii	9
	senarii	40		senarii	28
	hexametri	10		hexametri	6
		81			43

Apparet librum XXVIII multo minorem fuisse quam XXIX: quod si hic V fere fuit saturarum, ille non plus uidetur continuisse quam tres. Sed primum agendum erit de metrica conpositione libri XXIX, quae hac tabula fiet conspicua:

Lib. XXIX

I	Septenarii	φ- aetatem istuc . . . p. 248	αα-uentrem alienum... -ββ- surge mulier . . . η- unde domum . . .
II	Senarii	aα- detrussus . . . *(de Hannibale)* -aβ- has e fenestris *(domus expugnatio)* -χ- uecte atque ancipiti . . . *(domus expugnatio)* p. 245 -ψ nemo hos ancipites.. *(domus expugnatio)* a- Gnato, quid actum est? . . . *(domus expugnatio)* p. 36	M- -N- nam ut . . . sic Socrates . . .
III	Hexametri	-b- cum manicis . . . *(de ui amoris)* I- at non sunt similes... *(de meretricum amatoribus)*	-θ eicere . . . amorem *(de ui amoris)* -γγ- qui et poscent minus . . . *(de meretricibus)*
IV	Septenarii	-c- in me illi . . . *(de fraude dispensatoris)* -II- ad lenonem uenio..	-O latere pendens . . .

V	Senarii	-**d**- quam mihi . . . *(de amicitia)*	-δδ habeasq. in animo . . . *(de amicitia)*
		-**III** quapropter	
		-**e** supplantare aiunt Graeci	

Apparet ordinibus libri XXIX φ, χ, *a*, *b*, *c*, *d*, *e* consideratis librum XXIX fuisse compositum ita, ut primo loco septenarii, secundo senarii, tertio hexametri, quarto iterum septenarii, quinto iterum senarii positi fuerint. De sexta parte parum constat: si constaret re uera fragmentum —**e** 'supplantare aiunt Graeci' partem esse hexametri semiquinaria accedente semiseptenaria caesura qui fuerit exornatus, sexto loco hexametrum occurrere iterum certum esset quod facile quiuis usu uenisse suspicetur. Sed numeros uersuum pari metro compositorum si consideramus, calculis subductis apertum fit hexametros lib. XXVIII et XXIX omnes eiusdem fuisse saturae: quod argumenti similitudine confirmatur. Dispertiendi enim erunt septenarii et senarii libri XXIX in duas partes fere aequas: quo facto numeros libri XXVIII quem trium fere fuisse saturarum modo sumpsimus comparabimus, hoc modo:

lib. XXIX,	1. septenarii	15	lib. XXVIII,	1. septenarii	9
	2. senarii	20		2. senarii	28
	3. hexametri	10		3. hexametri	6
	4. septenarii	16			
	5. senarii	20			

Qua ratione cognita apertum fit eiusdem libri XXVIII singularum saturarum 9 uel 6 fragmenta septenariis uel hexametris composita superesse, libri XXIX fragmenta 15 (16) uel 10: quos numeros binis saturis attribuere, ne nimis fiant exigui, dubitabimus. Quod senariorum numerus multo est amplior (20—28), id ea de causa factum esse apparet, quod senarius multo est breuior quam uersus quadratus et longus. Itaque multo pluribus uersibus senariis opus erat ad eandem rem tractandam quam herois aut septenariis; unde factum est, ut grammaticus multo plures ex saturis uersibus pluribus conscriptis sustulerit. Neque denique omnino probabile est

De amplitudine saturarum Lucilii

numerum saturarum unius cuiusque libri Luciliani augeri debere supra numerum V. Nam libri et uoluminis profecto amplitudo non poterat usque augeri, quae et consuetudine et arte glutinatoris fuerit circumscripta. Atqui Horatius qui 10 uel 8 saturas uno uolumine comprehenderit, breuitate inprimis et litura superare se uoluit Lucilium, Lucilius ipse copiosus nimium erat et abundans uerbis, garrulus et longus. Longiores igitur multo fuisse saturas Lucilii quam Horatianas apparet. Libri I II III XVI unam tantummodo continebant saturam sicuti Iuuenalis lib. II. Porro cum Iuuenalis Lucilium se sequi disertis uerbis pronuntiauerit, cuius exemplum ueluti in Graecis uocabulis sermone admiscendis neglecta Horatii uituperatione aperte secutus sit, hunc nos potius sequemur auctorem in numero saturarum constituendo, quot singulis Lucilius libris comprehenderit: quem numerum modo I, modo III, modo IV, neque plus quam V fuisse his argumentis freti nos nostro iure statuemus.

De metrica compositione lib. XXVIII

De metrica compositione libri XXVIII hoc tantum constat, tres minimum fuisse saturas neque plures omnino fuisse e numero fragmentorum supra confecimus. Ratiocinatio ideo minus certa euadit, quod de fragmento —σ— (u. 769 seqq.) dubites utrum septenarius fuerit an senarii: ego Lachmannum secutus sum qui senarios edidit ideo, quod si reuera septenarius illud fuit, duas habebimus saturas septenariis compositas in lib. XXVIII quod propter exiguum nimis numerum uersuum qui ex utraque supersint (4 uel 5) minus est probabile. De ordine metrorum hoc constat post septenarios collocatos fuisse senarios:

I	Septenarii	a a — sarcinatorem esse p. 175
II	Senarii	— b b praeterea haec subsiciua
III?	Hexametri	

De hexametris ex similitudine lib. XXIX conicias tertio loco eos fuisse collocatos. Post librum XXVII noua metra temptauit poeta libris duobus XXVIII et XXIX: inde a lib. XXX heroum solum satura dignum esse publice poesi sua professus est qua in re secuti eum sunt postea poetae similis argumenti omnes. Itaque lib. XXVIII tres, lib. XXIX quinque continebat saturas hoc modo dispositas ut in utroque primum septenarii,

deinde senarii, tertio loco hexametri, in XXIX quarto septenarii quinto id est ultimo senarii positi fuerint: excipiunt denique senarios lib. XXIX ordine legitimo hexametri lib. XXX. De libri XXVII argumento breuiter disputabimus, qua in quaestione nihil memoratu est dignum, nisi quod ordine a— —b— —c— —d fragmentum illud quo Publium ad quem librum suum misit ad principium libri relegatur (u. 688 seq.). De libro XXVI plura sunt quae merito uideantur tractanda pluribus. Quo in libro tres facile agnoscuntur saturae: I de poesi saturarum (u. 651 seqq.) II de poetae uitae rationibus (u. 669 seqq.) III de mulieribus et matrimonio (u. 678 seqq.). Atque saturam de poesi Luciliana scriptam positam fuisse ante saturam de uita sua efficitur ordine —*C*— (u. 651 seq.) —*F*— (u. 669 seq.) —*G*— (u. 671 seq.): tum saturam de mulieribus positam fuisse post saturam de uita poetae ordine —m— (u. 666) —n (u. 682 seq.) qui ordo eo confirmatur, quod saturam de mulieribus post saturam de poesi Lucilii collocatam fuisse euincit ordo —β— (u. 625) —γ— (u. 629) —ε (u. 681).

De libri XXVII et XXVI argumentis

Exemplar denique illud Lucilii quo Nonius erat usus deterius erat eis, quorum notitia per alios grammaticos ad nos peruenit. Varias lectiones collectas exhibuimus in indice grammatico s. u. *uariae lectiones*: ubi discrepant scripturae, Nonii auctoritas posthabenda est fere ubique. Veluti lib. IV u. 173 legitur 'cumque hic tam formonsus tibi ac te dignus puellus' secundum Nonium p. 158, 16: sed recte sine dubio scribitur 'cumque hic tam formosus homo ac te dignus puellus' secundum Festum p. 249, 18 et Suetonium apud Priscian. G L II p. 232, 1 K. Orthographiae rationes exposuimus in eodem indice s. u. *orthographia*. Vnde apparet uetustioris orthographiae ueluti *pessumum exaduorso* uestigia in Nonii libris passim inueniri, sed nusquam *ei* pro *i* longa, qualia Ciceronis codices et Gellii seruarunt in *seis* et in *Eissocratium*. Itaque desinant aliquando talem scripturam inferre Lucilii uersibus apud Nonium seruatis.

3) De rhetoribus

Rhetores Latinos post Quintilianum uel Quintiliani aequales Lucilii uersus pro exemplis posuisse minime probabile est. Itaque Iulium Rufinianum qui R L p. 45, 11. 28. 46, 2. 62, 18, item Fortunatianum qui semel p. 124, 8 H. uerba attulit poetae

antiqui, rhetorem quendam qui ante Quintilianum uixerit compilasse consentaneum est quem Cornelium Celsum fuisse, Isidori item auctorem in rhetoricis indicaui Berl. Phil. Wochenschr. X 1890 p. 1008. Vindobonae cum docerem fragmenta Celsi colligenda inprimis ex Isidoro curaui ab auditore Iustino Woehrero quo munere ille functus est quattuor annis post dissert. Vindob. uol. VII 1903 p. 82 seqq. (conf 128), magistri et sententiae auctoris oblitus cuius ne nomen quidem inueniri passus est in illa dissertatione.

De Nonii codicibus et editionibus

Quicumque scriptoris alicuius qui periit fragmenta tractabit, eum par est adire auctores ipsos quibus illa fragmenta debeantur neque contentus esse poterit eis quae de auctoribus in collectione aliqua fragmentorum adnotata sunt. Itaque nemo supersedere poterit inprimis Nonii ipsius lectione qui Lucilii uersui dare operam uolet si traditus est ueluti apud Nonium. Quare Lucilii editor in adnotatione ad singula fragmenta multa poterit omittere quae lector et poterit et debebit quaerere in editione auctorum. Veluti de Nonii codicibus deterioribus lectorem relego ad Nonii editiones: qui codices hic illic dubito an paruulum aliquod conferant ad emendandum. Dux tamen codicum et princeps cuius lectiones nosse accurate magnopere e re est codex est Leidensis Voss. Lat. Fol. 73 saec. IX quem L littera notaui cuius scriptura prior facta ante correcturam tamquam fundamentum esse debet emendationis (uide ad lib. VI u. 257 XIX u. 562 XXVI u. 680 XXIX u. 920). Ex reliquis codicibus solum codicem Guelferbytanum Gudianum 96 saec. X elegi cuius lectiones apponerem.

Codex Leidensis L

Codex Guelferbytanus G

Longe plurimum profuit Lucilii emendationi Nonii editor illustris Iosias Mercerus editionibus anni 1583 et ea qua nos utimur anni 1614 Parisinis. Quem secuti sunt F. D. Gerlachius C. L. Rothius edit. Basil. 1842: utriusque editionis fundamentum erat codex Guelferbytanus alii, adhibuerunt praeterea duouiri passim Leidensem. Codices Nonii quos postea adhibuerunt praeter G et L Ludouicus Quicheratius edit. Paris. 1872 Lucianus Muellerus edit. Lips. 1888 I. H. Onionsius Oxonii 1895, qui libros I—III edidit, eos hic illic frustulum quoddam rectius seruasse uideri non tanti erat, ut eorum scripturas reciperem

omnes. Nam longe plurimis locis sordere illorum scripturas prae Leidensis integritate manifestum est. [Neque mutandam duxi hanc sententiam, postquam W. M. Lindsayus edidit Nonium Lipsiae anno 1903 exeunte. Qua in editione quorum codicum adnotatae sunt lectiones praeter L et G, eas in Lucilii fragmentis constituendis non magni esse pretii etiamnunc arbitrari me confiteor. Quae editio Nonii antequam prodiit in publicum, de quaestionibus Lucilianis et Nonianis disseruimus in synhodo philologorum anni 1903 Halensi qua de disputatione relatum est in actis.]

Archetypum codicum foede corruptum fuisse unaquaque in pagina Nonii aegre ferimus. Neque tamen genera uitiorum pernoscere inutile est ad emendationem grammatici uia ac ratione exercendam. Veluti in uersibus Lucilii saepissime eodem modo peccatum esse apertum fit his exemplis: perperam et secundum uulgarem pronuntiationem in *i* mutata est e clusa: *rix* pro *rex* 899. *camillos* pro *camellos* 1126. *lictoribus* pro *lectoribus* 356. *aduliscentiam* 617. 743. *uirum* pro *uerum* 119. 875. *aegri* pro *aegre* 474. *salui* pro *salue* 772. *detundite* pro *detundete* 578. *uidimus* pro *uidemus* 638. *muttiris* pro *muttires* 652. *acciperisne* pro *acciperesne* 869. *centinarias* pro *centenarias* 776. *grauido* pro *grauedo* 820. *collareque* pro *collarique* 854. Item u scribitur pro o clusa: *natus* pro *natos* 152. *primus* pro *primos* 198. *spurcus* pro *spurcos* 398. *quantu* pro *quanto* 460. *magnu* pro *magno* 707. *centunem* pro *centonem* 747. *propula* pro *propola* 198. — Scribitur *ali* pro *alii* 619, item *redisse* 677. *perimus* 710. 843. *delicis* 896. Praeterea saepenumero occurrit illud genus uitiorum, de quo egit Vsenerus Mus. Rhen. LVI 1901 p. 305: nimirum dilatantur et amplificantur uocabula ut u. 226 *ueterum* pro *uerum;* 285 *pactolo* pro *pacto; institis* uel *instituti* pro *isti* 1293. 318. *numini* pro *numi* 335. *honorum* pro *horum* 386. *uenentis* pro *uentis* 390. *alutamen* pro *alutam* 446. *sasipientibus* pro *sapientibus* 462. *mamolito* pro *molito* 813. *seminisse* pro *semisse* 499. *nouissime* pro *nouisse* 528. *declarasse* pro *declasse* 606. *uelite* pro *uite* 631. *aliti* pro *aut* 741. *uindemedia* pro *uindemia* 707. *retineres* pro *retineas* 804. *amaret* pro *amet* 833. *subduceret* pro *subducet* 887. *pirotulit* pro

protulit 199. *denique* pro *deque* 983. *diligitis* pro *digitis* 991. *epitofoni* pro *epifoni* 908. *alcholocheo* pro *alocheo* 25.

De Lucilii editionibus

Lucilii fragmenta primus 'collegit disposuit, et notas addidit Franciscus Iani f. Dousa' Lugd. Bat. 1597 qua in editione sese 'consilio ac iudicio Parentis potissimum' usum esse in praefatione pronuntiat, magnum Scaligerum egregie labori suo fauisse gloriatur. Et optima quaeque quae protulit non Francisci, sed aut Iani sunt Dousae aut Scaligeri, quorum uirorum eruditio egregia in commentario utilissimo ubique est conspicua. Magni etiamnunc pretii haec editio ideo est habenda, quod ad Lucilii uersus ille e codice deperdito Charisii Coloniensi (uide ad lib. V u. 193 IX u. 362 XI u. 401—404. 426 incert. u. 1294 seq. huius editionis) praecipuas adnotauit scripturas (G L I p. XXIV seqq.). Longo interuallo interiecto iterum edidit Lucilium E. F. Corpetus 'Satires de C. Lucilius Fragments revus augmentés traduits et annotés' Paris 1845. Qui etsi neque in metricis neque in historicis neque in grammaticis rebus par erat huic operi suscepto, tamen multa ex libris uirorum doctorum sedulo collegit plena acuminis et doctrinae, ipse nonnulla rectius constituit meliusque interpretatus est, quam qui eum nimis neglexerunt editores posteriores. Quorum in numero ingenio et doctrina etiam inferior erat Corpeto F. D. Gerlachius, qui Lucilium edidit Turici 1846, superior Corpeto et Gerlachio Lucianus Muellerus, qui edidit Lipsiae 1872 'C. Lucili saturarum reliquiae. Emendauit et adnotauit Lucianus Mueller', uterque et Nonii et Lucilii editor. Atque de Muellero et Nonii et Lucilii editore paucis erit dicendum. Ingenium uelox, audacia perdita, sermo promptus et Isaeo torrentior: propter illam ipsam audaciam criticus parum felix, denique contumax contumeliosus gloriosus. Rem metricam hexametri Latini bene norat, sermonis ueteris Latini ueluti Plautini parum erat peritus neque ea, quae ipse didicerat in litteris Latinis et Graecis, talia erant, ut supersedere potuerit studiis aliorum quae solebat contemnere. Itaque quae praestitit in Lucilio si summam subduxeris, ea magis meliorum codicum et editionum opera praestitisse uirum doctum et uersutum statuendum est. Quae contra Mommsenum et contra Vahlenum fere quotannis scripsit Ennii editorem

F. Dousa

E. F. Corpetus

F. D. Gerlachius

Lucianus Muellerus

Carolus Lachmannus et Lucilii Lachmanniani patronum, ea nemo sine taedio poterit perlegere. Editionem Lucilii praeparauerat Carolus Lachmannus, qui multa et egregia protulit de Lucilii uersibus singulis in commentario ad Lucretium aliis libellis: priusquam ad librum perpoliendum uenit, morte oppressus abiit ad plures. Edidit Lachmanni schedas auctas a Mauritio Hauptio Ioannes Vahlenus utriusque successor Berolinensis in libro 'C. Lucilii saturarum. Carolus Lachmannus emendauit Berolini 1876' summa cum pietate et ut adsolet diligentia, uerborum indicem addidit Vahleno auctore Franciscus Harder 'Index Lucilianus Berolini 1878' quem nos potuimus supplere. Quam editionem etiamsi non permultas nouas emendationes Lachmanni exhibuerit, ei qui enchiridia et alia conscripserunt haud impune neglexerunt in quibus multa feruntur tamquam Luciliana quae Lucianea sunt siue Muelleriana: ueluti qui nuper Muelleri uersibus I 38 ita constitutis

porro quicumque et cuicumque ut diximus ante
obstiterit, preimo cerebrum huic refert minui re,

abusus est ad libri I argumentum constituendum, huic homini id fecisset poeta si superstes esset, quod Muellerus illis uersibus Lucilium fecit scribentem. Pari audacia in re critica *Aemilius Baehrensius* erat Aemilius Baehrensius, quondam Muelleri discipulus, mox aduersarius, qui Lucilii reliquias edidit in 'Fragmentis poetarum Romanorum' Lipsiae 1886 p. 139 seqq.

Praeter eos quos modo nominaui uiros doctos insigni modo de Lucilii emendatione et interpretatione meruit Franciscus Buechelerus, criticorum facile princeps, et iustitia et aequitate iudicii ut hominis duri et acerbi, Caroli Friderici Guilelmi Muelleri praeconium uocemque nunc emortuam litteris tradam, unus instar multorum milium. Ego plerasque uirorum doctorum coniecturas non in adnotatione critica sed in commentario curaui collocandas, permultas silentio oppressi, non tantum aliorum, sed etiam meas.

Equidem memini Petropoli cum degerem narrari solitum in circulis secundum sententiam auctoris omnia fere in Lucilio emendando et enarrando fuisse ad finem perducta, ubi primum editio Lipsiensis anni 1872 prodierit. Videlicet nulla in re magis decipiuntur homines, quam in ipsorum operibus recte

aestimandis; et sicuti parentes de liberorum uirtutibus, ita uiri docti falli solent de ingenii sui fetu et propaginibus. Et Muelleri et Lachmanni et multorum curas et operas sedulo me arbitror collegisse in hac editione, neque tamen finitam esse poetae difficillimi emendationem et interpretationem, sed coepisse.

De poesi Lucilii iudicia

Aetate Quintiliani fuisse, qui Lucilium Horatio praeponerent, non est quod miremur (testim. 48. 49): huius enim Horatius auctor fuerat iudicii ipse serm. II 1, 74. 29. I 10, 48. Id tamen memorabile est, nonnullos Lucilium ita tunc habuisse sibi deditos amatores, qui omnibus eum poetis praeferre non dubitent (testim. 48). Qui homines plurimi sane faciebant indigenam poesin et Latinam, pluris faciebant Italum omnino acetum quam sales Atticos (testim. 59). Atque admirabantur inprimis poetae audaciam singularem (testim. 53. 54), studium uirtutis acerrimum (testim. 55. 57), sales et facetias, doctrinam et eruditionem. Acrimoniam poetae primus comparasse uidetur Horatius serm. I 4, 1 seqq. cum aculeis et hastis poetarum comoediae ueteris Atticae, quorum opera poeta modo legerat; nam sese modo ueteres, quas domi habebat (serm. II 3, 12) comoedias legisse cum ostentatione quadam l. s. pronuntiat I 10, 17 'quos neque pulcher Hermogenes umquam legit neque simius iste nil praeter Caluum et doctus cantare Catullum'. Idem Horatius ingenium Lucilii passim magnopere sese admirari professus est, ter sese infra Lucilii esse uirtutes et meritum concessit (serm. II 1, 74. 29. I 10, 48 testim. 50—52). Grande praeconium postea poeseos Lucilianae Iuuenalis cecinit I 165 (testim. 53): nempe rubet improbus, cum Lucilii audit uersus et tacitus timet. At *οὐδεὶς γοῦν Ὑπερείδην ἀναγιγνώσκων φοβεῖται* secundum Longin. de sublim. cap. 34, 4, cum ille poeta numquam scripserit *ἀργὰ καὶ τὸν ἀκροατὴν ἠρεμεῖν ἐῶντα* auctore Iuuenale. Atque de audacia Lucilii supra actum est in capite de saturae historia p. XVI: uim eius et acrimoniam non tantum in auaritia ambitione fraudibus luxuria stupris castigandis etiamnunc licet admirari, sed, imprimis quod nostrum saeculum admirari consentaneum est, in superstitione hominum irridenda, in oratorum praestigiis fucosis illudendis, denique in philosophorum et sophistarum captiosis et nugatoriis disputationibus

πραγματικὸς τόπος

Acrimonia et uirtutis studium

Eruditio et sales notandis. Consentiunt praeterea ueteres de laude eruditionis eius et urbanitatis (testim. 58—63): neque tamen uacat sales Lucilii aut enumerare aut enarrare singulos, quorum in numero multi multa durabant per saecula ueluti illud 'agrarius mergus' incert. u. 1103 'uertitur oenophori fundus, sententia nobis' lib. III u. 139, 'non omnibus dormio' incert. u. 1223 alia. De eruditione eius et doctrina ubique testes locupletissimi citari possunt reliquiae ipsae: bene enim nouit Homerum et Archilochum, Menandrum et ueteris comoediae Telecliden, philosophiae disciplinam et Stoicae et Epicureae, Academiae historiam et Peripateticam doctrinam, Latinorum Ennium Pacuuium Accium tragicos, Plautum Caecilium Terentium comicos. Ennium et Accium multis locis insectatus est teste Horatio serm. I 10, 53 (testim. 65. 67 seqq.), sed ita ut sese non meliorem aut maiorem illis iactaret gloriosus; qua re egregie saturae suae acerbitatem uoluit mitigari modestusque uideri et iudex aequus. Omnino denique Plinio maiori credendum est tradenti in praef. nat. hist. 7 eum primum condidisse stili nasum (testim. 64), quibus uerbis tumide ut solet generis Asiani ille sectator Lucilium criticorum elocutionis Latinae significat fuisse principem omnium. Obscenitatem et spurcitiem singularem quam et ueteres (testim. 71. 72) in eius carminibus deprehenderunt et nos cum taedio et fastidio offendimus (conf incert. u. 1186) et C. Trebonio exemplo fuisse (Cic. epist. XII 16, 3) et Horatio et Iuuenali manifestum est. Agnoscas hominem diutina militia et uita castrensi dissolutum, moribus imbutum militis gregarii, agasonum et stabuli equestris sermone gaudentem. Vbique pueri et meretrices, Hymnis, Cretaea, Collyra, Lamia, Bitto, Gentius, Macedo, Agrion, domuum expugnationes, conuiuia et ebrietates, ludi gladiatorii, passim de equorum uirtutibus agitur et uitiis ita, ut poeta eques neminem possit latere: coniugium ut molestiam et aerumnam fato hominibus oblatam irridet nihilque habet antiquius quam matronarum carpere ingenia et mores.

Stili Latini criticus primus

Obscenitas saturarum

Λεπτικὸς τόπος De elocutione Lucilii satis honorifice iudicauit M. Varro apud Gell. VI 14, 6 (testim. 73. 74) qui Lucilium gracilitatis, i. e. *τοῦ ἰσχνοῦ χαρακτῆρος* exemplum uoluit haberi. Horatium si rogare possemus, non gracilis generis esse eius car-

mina responderet poeta Venusinus, sed appellari debere Lucilium 'squalentem et ieiunidicum pro gracili' (Gell. l. s. 5). *Character* Rectissime enim iudicauit de Lucilio Horatius serm. I 4, 6 seqq. (testim. 75. 76). Romani et Latini sanguinis homines pedestris sermonis erant peritissimi artifices; neque uero poetas Latium procreauit neque poesin praeter saturam, quae sermonis pedestris fuerit effigies. Itaque sicuti Arpinas ille *τῇ πρὸς τὴν ποίησιν εὐκολίᾳ παίζων ἐχρῆτο· λέγεται γὰρ ὀκτωνίκα ῥυείη πρὸς τὸ τοιοῦτον, τῆς νυκτὸς ἔπη ποιεῖν πεντακόσια* (Plutarch. Cic. cap. 40 med.), ita Lucilium in hora saepe ducentos uersus dictasse e uestigio reliquiae ipsae carminum declarant, garrulitatis et incuriae plenae ubique, saepenumero propter indiligentiam et festinationem auctoris obscurae et perdifficiles ad interpretationem. Nempe erat, sicuti Memmius ille de quo Cicero Brut. 247, fugiens non modo dicendi sed etiam cogitandi laborem, denique schedium appellabat opus suum (testim. 77. 78, incert. u. 1279), quod seruulus e domini ore excipiebat dictantis cum loquacitate *Verba propria* senectutis propria. Atque uerbis eum uti 'cuiusque artis ac negotii propriis' Frontoni credemus affirmanti (p. 62 N testim. 79) ueluti figulorum uocabulo Osco utitur in uasculis describendis (incert. u. 1318), Syriaco uocabulo in panificio (incert. u. 1250), meretriciis in re amatoria uerbis, equisonum uocabula adhibet in re equestri (uide indicem grammaticum s. u. castrensis sermo), militaria in pugnis narrandis et belli laboribus, rhetorum in oratoribus carpendis, philosophorum sermone utitur cum sapientium studia tractare aggressus est. *Sermo castrensis* Inprimis autem castrensi sermone et uulgari utitur ut grauis annis miles, cuius sermonis tamquam auctor est et princeps. Qua de re cum uberius in indice grammatico sit expositum et passim in commentario, illuc praestat relegare lectorem. Erant in exercitu Numantino Scipionis congregati socii ueluti ex tota Italia, unde Latina Osca Tusca Graeca uocabula apud Lucilium inueniri non est quod mireris. Graeca uocabula quae saturis passim inseruit secundum consuetudinem sermonis cottidiani in indice collecta exhibui: qua in re Horatius eum impugnauit (serm. I 10, 20 seqq. testim. 80) neque imitari uoluit, cum Lucilii similis sit Iuuenalis in hac stili proprie-

tate, qui sicuti ille uersum ex Homero (lib. XIV u. 463 alibi), ita integrum fere uersum posuerit in satura IX 37. Denique in uersibus faciendis limatiorem Ennio eum fuisse concedit Horatius serm. I 10, 65 (testim. 76) quem propter uersus parum politos carpsit nonnumquam (incert. u. 1190). Sed proprietates eius metricas item grammaticas inueniet lector collectas in indice grammatico et enarratas passim in commentario. Quare earum rerum studiosos illuc poterimus relegare finemque facere praefationis iam fines egressae et spatium concessum.

Scripsimus Lipsiae mense Iunio anno 1903.

TESTIMONIA DE SATURA.

I. Festus p. 314 M. 'Satura et cibi genus ex uariis rebus conditum est, et lex ⟨*mul*⟩tis alis legibus conferta. itaque in sanctione legum adscribitur "neue per saturam abrogato aut derogato". T. Annius Luscus in ea quam [quam] dixit aduersus Ti. Gracchum (ORF ed. II p. 164 Meyeri) "Imperium quod plebes per saturam dederat, id abrogatum est" et C. Laelius in ea quam pro se dixit * * * (l. s. p. 173) ⟨*et Sallustius in Iugurtha*⟩ (cap. 29, 5) "dein postero die quasi per saturam sententiis exquisitis in deditionem accipitur".'

II. Isidor. orig. V 16 'Satura uero lex, quae de pluribus simul rebus eloquitur, dicta a copia rerum et quasi a saturitate, unde et satyras scribere est poemata uaria condere ut Horatii Iuuenalis et Persii'.

III. Paulus ex Fest. p. 315 M. 'Satura et cibi genus dicitur ex uariis rebus conditum, et lex multis aliis conferta legibus, et genus carminis, ubi de multis rebus disputatur'.

IV. Diomedes GL I p. 485, 34 K quem locum secundum orthographiam rectius seruarunt Porphyrionis excerpta in Meyeri edit. p. 278 adnot. in Holderi p. 328, 329 post. Horat. epist. I 11, 12 'a) Satura autem dicta siue a saturis, quod similiter in hoc carmine ridiculae res pudendaeque dicuntur, quae uelut a saturis proferuntur et fiunt, — siue satura a lance, quae referta uariis multisque primitiis in sacro apud priscos diis inferebatur et a copia et saturitate rei satura

uocabatur. Cuius generis lancium et Vergilius in georgicis meminit, cum hoc modo dicit (II 194) "lancibus et pandis fumantia reddimus exta" et (II 394) "lancesque et liba feremus". — *b*) Siue a quodam genere farciminis, quod multis rebus refertum saturam dicit Varro uocitatum. Est autem hoc positum in secundo libro Plautinarum quaestionum "satura est uua passa et polenta et nuclei pini ex mulso consparsi. ad haec alii addunt et de malo Punico grana". — *c*) Alii autem dictam putant a lege satura quae uno rogatu multa simul conprehendat, quod scilicet et satura carmine multa simul poemata conprehenduntur. cuius saturae legis Lucilius meminit in primo (u. 48) "per saturam aedilem factum qui legibus soluat" et Sallustius in Iugurtha (cap. 29, 5) "deinde quasi per saturam sententiis exquisitis in deditionem accipitur".' *Codd Diomedes exhibent ubique* satyra, a satyris, *etiam* lanx satyra *et* lex satyra: *ubique* u *litteram seruarunt excerpta Porphyrionea quam seruauit iure editor Holderus.*

V. Scholiastae Horatiani praefatio in sermonum lib. I (uol. II p. 3 Hauthal.)

a) 'Satyra dicitur lancis genus ⟨*siue nomen est potius*⟩ tractum a choro Liberi patris qui est minister uini et epularum.

b) Satyra istius inter Lucilii est et Iuuenalis: nam et asperitatem habet quam Lucilius et suauitatem quam Iuuenalis mixtam in suo carmine. Denique nisi Iuuenalis scripsisset, isto nemo esset melior.

c) Verum tamen sciendum quia satyrarum carmen a primo omnium auctore Lucilio repertum est.

d) Plerique satyram a lance quae plena diuersis frugibus in templo Cereris infertur nomen accepisse dicunt; nam et ea hoc nomine appellatur. Ergo et hoc carmen propterea satyram nominarunt, quia ita multis et uariis rebus refertum est ut audientes saturet.

Alii dicunt, quod ita satyra uocitata sit, quod ita conuicia et crimina hominum libere inuadat, ut saturati homines, i. e. ebrii.'

VI. Euanthius de comoedia p. 16 Wessneri 'et hinc deinde aliud genus fabulae id est satyra sumpsit exordium, quae a satyris quos † inuocis semper ac petulantes deos scimus esse, uocitata est, etsi aliunde nomen praue putant habere. haec satyra igitur eius modi fuit, ut in ea quamuis duro et uelut agresti ioco de uitiis ciuium, tamen sine ullo proprii nominis titulo carmen esset. quod idem genus comoediae multis offuit poetis, cum in suspicionem potentibus ciuium uenissent, illorum facta descripsisse in peius ac deformasse genus stilo carminis. quod primus Lucilius nouo conscripsit modo, ut poesin inde fecisset id est unius carminis plurimos libros.

VII. Isidor. orig. VIII 7, 7 'Duo autem sunt genera comicorum, id est ueteres et noui, ueteres, qui et ioco ridiculares existunt, ut Plautus, Accius, Terentius; noui, qui et satyrici, a quibus generaliter uitia carpuntur, ut Flaccus, Persius, Iuuenalis et alii. Hi enim uniuersorum delicta corripiunt nec uitabatur ab eis pessimum quemque describere nec cuiuslibet peccata moresque reprehendere. [Vnde et nudi pinguntur, eo quod per eos uitia singula denudentur.] Satyrici autem dicuntur, siue quod pleni sunt omni facundia siue a saturitate et copia — de pluribus enim simul rebus loquuntur — seu ab illa lance quae diuersis frugum uel pomorum ⟨*cum*⟩ generibus ad templa gentilium solebat deferri; aut a satyris nomen dictum, qui inulta habent ea, quae per ui⟨*n*⟩olentiam (*uiolentiam* codd) dicuntur. ⟨*Vnde et nudi pinguntur eo quod per eos uitia singula denudentur*⟩. Conf Cornuti commentum ad Persium ed. E. Kurzius Burgdorf 1875 p. VIII "Dicitur autem satira a lance deorum ... uel a satiris dicitur satira. Conuenit enim cum eorum qualitatibus. Illi enim nudi depinguntur capripedes et saltantes rure habitantes"' e. q. s.

VIII. [Lucretius V 1390 'haec animos ollis mulcebant atque iuuabant cum satiate cibi: nam tum sunt *car*mina (*ita Lachmannus:* omnia *codd*) cordi.'] conf Pers. I 31. 51. 52.

IX. [Tibull. II 1, 51 'agricola adsiduo primum satiatus aratro cantauit certo rustica uerba pede et satur arenti primum est modulatus auena carmen, ut ornatos diceret ante deos.']

X. [Liuius VII 2, 7 'qui (histriones) non sicut ante Fescennino uersu similem, incompositum temere ac rudem alternis

iaciebant, sed inpletas modis saturas, descripto iam ad tibicinem cantu motuque congruenti peragebant. Liuius post aliquot annis, qui ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere' e. q. s.]

XI. Iuuenal. I 81 'Ex quo Deucalion nimbis tollentibus aequor nauigio montem ascendit ..., et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas quidquid agunt homines, uotum timor ira uoluptas gaudia discursus, nostri farrago libelli est.'

XII. Martian. Capella in epilogo operis p. 374, 9 Eyssenh. 'Habes senilem, Martiane, fabulam miscilla lusit quam lucernis flamine Satura ...'

XIII. Quintil. X 1, 93 'satura quidem tota nostra est in qua primus insignem laudem adeptus Lucilius.'

XIV. Diomedes G L I p. 485, 30 K 'Satura dicitur carmen apud Romanos nunc quidem maledicum et ad carpenda hominum uitia archaeae comoediae charactere conpositum quale scripserunt Lucilius et Horatius et Persius. *sed* (*et* codd) olim carmen quod ex uariis poematibus constabat satura uocabatur quale scripserunt Pacuuius et Ennius.'

XV. Porphyrio ad Hor. serm. I 10, 46 '... item Ennius qui quattuor libros saturarum reliquit et Pacuuius ...'

XVI. Quintil. X 1, 95 'Alterum illud etiam prius saturae genus, sed non sola carminum uarietate mixtum condidit Terentius Varro.'

XVII. Horat. serm. I 10, 64 'fuerit Lucilius, inquam, comis et urbanus: fuerit limatior idem quam rudis et Graecis intacti carminis auctor quamque poetarum seniorum turba ...'

XVIII. Horat. serm. II 1, 62 'quid? cum est Lucilius ausus primus in hunc operis conponere carmina morem, detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora cederet, introrsum turpis ...'

XIX. Horat. serm. I 10, 46 'hoc erat, experto frustra Varrone Atacino atque quibusdam aliis melius quod scribere possem, inuentore minor: neque ego illi detrahere ausim haerentem capiti cum multa laude coronam.'

XX. Lucilius lib. XXX u. 1039 'cuius uultu ac facie ludo ac sermonibus nostris uirginis hoc pretium atque hunc reddebamus honorem': ubi conf commentarium.

XXI. Hieronymus in indice librorum M. Terentii Varronis Reatini (Ritschelii opusc. III p. 526. 527 Mus. Rhen. XII 1857 p. 151) enumerat inter opera Varronis 'satyrarum Menippearum libros CL' tum 'satyrarum libros IV'.

XXII. Suetonius de gramm. 15 'Lenaeus, Magni Pompei libertus ... tanto amore erga patroni memoriam extitit, ut Sallustium historicum, quod eum oris probi, animo inuerecundo scripsisset, acerbissima satura lacerauerit, lastaurum et lurconem et nebulonem popinonemque appellans et uita scriptisque monstrosum, praeterea priscorum Catonis uerborum inerauditissimum furem'.

XXIII. Probus Vallae in Iuuen. I 20 'magnus ... Auruncae ... alumnus' ... 'uel Lenaeum (ita Casaubonus: *lenium* traditur) dicit, qui et ipse satyras scripsit'.

XXIV. De P. Terentii Varronis Atacini saturis uide testim. XIX.

XXV. Varro rer. rust. III 2, 17 'L. Abuccius, homo, ut scitis, adprime doctus, cuius Luciliano charactere sunt libelli.'

XXVI. Macrob. Saturn. II 4, 21 'Temporibus triumuiralibus Pollio, cum fescenninos in eum Augustus scripsisset, ait: "at ego taceo"' e. q. s.

XXVII. Horatii saturarum quae hodie ita appellantur in codd subscriptio 'Q. Horatii Flacci sermonum liber secundus explicit': quo nomine ubique saturas adferunt grammatici.

XXVIII. Senecae saturae subscriptio (F. Buechelerus Symb. philol. Bonn. in hon. F. Ritschelii I p. 72) '[Diui Claudii] explicit apotheosis Annaei Senecae persaturam'.

XXIX. Lactantius diuin. instit. I 21, 13 'Pescennius Festus in libris historiarum per saturam refert Karthaginienses Saturno humanas hostias solitos immolare' e. q. s.

XXX. Ioannes Lydus de magistr. p. R. I 41: '*Ῥίνθωνα καὶ Σκίραν καὶ Βλαῖσον καὶ τοὺς ἄλλους τῶν Πυθαγορ⟨εί⟩ων ἴσμεν οὐ μικρῶν διδαγμάτων ἐπὶ τῆς μεγάλης Ἑλλάδος γενέσθαι καθηγητὰς καὶ διαφερόντως τὸν Ῥίνθωνα, ὃς ἑξαμέτροις ἔγραψε πρώτως κωμῳδίαν. ἐξ οὗ πρῶτος λαβὼν τὰς ἀφορμὰς Λουκίλιος ὁ Ῥωμαῖος ἡρωικοῖς ἔπεσιν ἐκωμῴδησε. μεθ' ὃν καὶ τοὺς μετ' αὐτὸν* (*ex Horat. serm.* I 10, 46 *seqq.*), *οὓς καλοῦσι Ῥωμαῖοι σατυρικούς, οἱ νεώτεροι τὸν Κρατίνου καὶ Εὐπόλιδος*

χαρακτῆρα ζηλώσαντες (*ex Horat. serm.* I 4, 1) *τοῖς μὲν Ῥίνθωνος μέτροις, τοῖς δὲ τῶν μνημονευθέντων διασυρμοῖς χρησάμενοι τὴν σατυρικὴν ἐκράτυναν κωμῳδίαν· Ὁράτιος μὲν οὐκ ἔξω τῆς τέχνης χωρῶν* (*ex Horat. serm.* II 1, 1 *epist.* I 19, 27), *Πέρσιος δὲ τὸν ποιητὴν Σώφρονα μιμήσασθαι θέλων τὸ Λυκόφρονος παρῆλθεν ἀμαυρόν. Τοῦρνος δὲ καὶ Ἰουβενάλιος καὶ Πετρώνιος αὐτόθεν ταῖς λοιδορίαις ἐπεξελθόντες τὸν σατυρικὸν νόμον παρέτρωσαν* (ex Horat. serm. II 1, 2 Iuuen. VI 635). Conf testim. VI. VII et prolegg. p. XII. XVII: Iuuenalis saturas Lydum legisse adnotant interpretes ad Iuuen. II 50. — Quae [Acro] ad Hor. epist. II 2, 60 tradit de similitudine sermonum Bionis et Lucilii, ea item ficta omnia.

TESTIMONIA DE VITA ET POESI C. LUCILII

1) Iuuen. I 19 'cur tamen hoc potius libeat decurrere campo per quem magnus equos Auruncae flexit alumnus, si uacat ac placidi rationem admittitis, edam'. Vbi schol. 'Lucilium dicit . . .' *Idem scholion legerat Ausonius epist. ad Tetradium saturarum scriptorem XV 9 p. 173 Sch. XI 9 p. 237 P.* 'Rudes Camenas qui Suessae praeuenis aeuoque cedis non stilo'. *Patria*

2) Schol. ad Horat. serm. II 1, 29 'fuit enim ualde nobilis Lucilius, utpotè qui esset Magni Pompei *auus*'; idem ad 75 'ideo quia fertur Lucilius *auunculus* (ita Parisinus γ Hauthalii: *maior auunculus* reliqui) fuisse Pompei Magni. merito ergo ⟨*dicit se infra censum esse Lucilii: nam ille et nobilis*⟩ et diues fuit'. Porphyrio ad Horat. l. s. 75 'Constat enim Lucilium ⟨*auunculum*⟩ maiorem Pompei fuisse. Etenim auia Pompei Lucilii soror fuerat'. *Genus*

3) Vell. Paterc. II 29, 2 *de Magno Pompeio* 'Fuit hic genitus matre Lucilia stirpis senatoriae'.

Stemma



4) Lucilius lib. XXVI u. 667 'de*ni*que adeo male me accipiunt decimae et proueniunt male'. *De Lucilii praediis*

5) Cic. de or. II 284 'Sed ex his omnibus nihil magis ridetur quam quod est praeter expectationem . . . ut Appii maioris illius qui in senatu quom ageretur de agris publicis et de lege Thoria et premeretur Lucilius ab iis, qui a pecore eius depasci agros publicos dicerent, "Non est" inquit "Lucilii pecus illud, erratis" — defendere Lucilium uidebatur — "ego liberum puto esse, qua libet pascitur".' (Lucullus-Luculli-Lucullum *Harleianus*.)

Familia 6) Lucilius lib. XXII u. 580 'Lucili columella hic situs Metrophanes'. u. 581 'Pacilius tesorophylax pater.' lib. III u. 105 'Symmachus . . . bubulcus'. lib. XV u. 512 'uilicum Aristocraten'.

Aedes 7) Asconius in Cic. Pison. p. 12, 9 K. S. 'Tradunt et Antiochi regis filio obsidi domum publice aedificatam, inter quos Atticus in annali: quae postea dicitur Luc*ilii* (ita Manutius: *lucii* codd) poetae fuisse'.

Aetas 8) Gellius XVII 21, 49 ex Nepotis Cornelii chronicis 'Neque magno interuallo postea Q. Ennius, et iuxta Caecilius et Terentius, ac subinde et Pacuuius, et Pacuuio iam sene Accius clariorque tunc in poematis eorum obtrectandis Lucilius fuit'.

9) Velleius II 9, 3 'clara etiam per idem aeui spatium fuere ingenia in togatis Afrani, in tragoediis Pacuui atque Acci . . . celebre et Lucili nomen fuit, qui sub P. Africano Numantino bello eques militauerat'.

10) Macrobius Saturn. III 16, 14 '. . . etiam C. Titius, uir aetatis Lucilianae, in oratione qua legem Fanniam (*latam 593/161*) suasit'. Cic. Brut. 167 '. . . C. Titius . . . Quem studebat imitari L. Afranius poeta . . .'.

Annus quo mortuus est 11) Hieronymus chron. ad ann. Abrahae 1915 (*secundum cod Amandinum: in reliquis ad 1914*) 'Gaius Lucilius (*ita codd Oxoniensis et Berolinensis: conf Herm. XXIV 1889 p. 396;* c *uel* gaius lucius *reliqui*) satyrarum scriptor Neapoli moritur ac publico funere effertur anno aetatis XLVI'. *Annus est olymp. 169, 3 u. c. 652/653, 102/1 a. Chr.*

12) Cicero in dialogo de oratore quem habitum fingit anno 663/91 interlocutores de Lucilio inducit hoc modo loquentes I 72 'Sed ut solebat C. Lucilius saepe dicere . . .'

II 25 'Nam ut C. Lucilius, homo et doctus et perurbanus, dicere solebat . . .' III 171 'In quo . . . lusit is, qui elegantissime id facere potuit, Lucilius . . .' uide testim. 15 et 38.

13) Hieronymus chron. ad ann. Abrahae 1869 (*secundum cod Amandinum: alii ad ann. 1870*) 'Lucilius poeta nascitur'. *Annus est olymp. 158, 1 u. c. 606/607, 148/147 a. Chr.: quod falsum.* *Annus natalis*

14) Velleius II 9, 3 'celebre et Lucili nomen fuit, qui sub P. Africano Numantino bello (620/134, 621/133) eques militauerat'. *Quo tempore saturas scribere coeperit*

15) Plinius nat. hist. XXXVI 185 de pauimentis 'Romae scutulatum in Iouis Capitolini aede primum factum est post tertium bellum Punicum initum, frequentata uero pauimenta Poenica ante Cimbricum (649/105—653/101) magna gratia animorum indicio est Lucilianus ille uersus (lib. II u. 85) "arte pauimento atque emblemate uermiculato".' *Quo anno desierit carmina facere*

16) Horatius serm. II 1, 30 de Lucilio 'Ille uelut fidis arcana sodalibus olim credebat libris, neque si male cesserat usquam decurrens alio, neque si bene. quo fit ut omnis uotiua pateat ueluti descripta tabella uita senis'. *Aetas*

17) Rhet. ad Her. II 13, 19 extr. 'C. Caelius iudex absoluit iniuriarum eum, qui Lucilium poetam in scaena nominatim laeserat, P. Mucius eum, qui L. Accium poetam nominauerat, condemnauit'. I 14, 24 pr. 'Mimus quidam nominatim Accium poetam conpellauit in scaena. Cum eo Accius iniuriarum agit. Hic nihil aliud defendit, nisi licere nominari eum, cuius nomine scripta dentur agenda'. *Histrio in scaena nominatim laesit poetam*

18) Cic. Acad. II 32, 102 'Explicaui paulo ante Clitomacho auctore, quomodo ista Carneades diceret; accipe quemadmodum eadem dicantur a Clitomacho in eo libro, quem ad C. Lucilium scripsit poetam, cum scripsisset iisdem de rebus ad L. Censorinum, eum qui consul cum M.' Manilio fuit' (anno 605/149). Clitomachus anno 599/155 Romae fuit (Cic. Acad. II 137). *Amici poetae: Clitomachus Academicus librum ad poetam misit*

19) Iunius Congus amicus lib. XXVI u. 596 ubi uide commentarium. *Alii*

20) D. Laelius lib. XXVI u. 593 ubi uide commentarium.

21) Historicus ignotus ad quem misit lib. XXVI unam saturam (uide ad u. 612).

22) Homo ignotus ad quem misit lib. XXX saturam unam, poeta ut uidetur comicus (uide ad u. 1029).

23) N. Caelius ad quem unam saturam misit (uide ad incert. u. 1295): ad eundem Caelium fortasse unam saturam misit lib. XXX (uide ad u. 1079).

24) Homo ignotus ad quem lib. V saturam unam misit (uide ad u. 181 seqq.).

25) Pacenius ad quem lib. XI saturam unam misit (uide ad u. 413).

26) Vettius Philocomus et Laelius Archelaus: uide testim. 40 et incert. u. 1322.

P. Scipio Aemilianus

27) Lucilius incert. u. 1138 'Cornelius Publius noster Scipiadas ... ibat forte domum. sequimur multi atque frequentes'. Scripsit ad Scipionem lib. XXVII (u. 688 seq.), Scipiadae cognomen dat Magno lib. XI u. 394.

